2.

GODEFRIDI LVFFII
PRESBYTERI
BVSCODVCENSIS
PEREGRINVS

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ROMÆ, MDCLXXVI.
Ex Typographia Ioſephi Corui, & Bartholomæi Lupardi Impreſſ. Camer.

Superiorum permiſſu, & priuilegio.

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D.

IOANNI GVALTERO SLVSIO

Vtriuſque Signaturæ Referendario, ac Sanctiſsimo D. N. Innocentio XI. à Secretis Breuium.

OBcelſitudinē mō-tis Mauritaniæ, (cuius cacumen, inuiſibile fuit oculis mortalium) antiqui fabulati ſunt Cęlum humeris gigantis innixum; nos humilitati piſcatoris viſibi-

lis, à Chriſto Domino, regimen Eccleſiæ ſuæ, impoſitum agnoſcimus, ea authoritate, vt ratum foret in Cælis, quodcumque ligaret, vel ſolueret ſuper terram. Et Petrum quidem (vtpotè mortalem) humanitatis debitum perſoluere neceſſe erat, ſicuti Succeſſoribus ſuis accidit: inter quos poſt culmen Apoſtolatus, alios martyrij gloria Illuſtres veneramur, alios vitæ ſanctitate, ac miraculis claros, cæteros laboribus, ſiue ærumnis confectos. Tam vaſtæ molis regimen, ſubordinatos po-

teſta-

teſtati ſuæ ampliſſimæ, varios requirebat miniſtros: quorum maior pars, omni creaturæ, Euangelij gaudia annunciat: reliqui, totius corporis myſtici infirmitates, à Romano Pontifice ſanandas examinant. Exhibuiſti per annos multos (Illuſtriſſime Domine) Eccleſiæ Romanæ, fidele miniſterium; & nuper tam pio operi intentus, grauiſſimum vitæ corporalis diſcrimen, inuicta animi conſtantia ſubijſti. Lugebant Eruditi Mecœnatem ſuum, egeni, beneficum parentem, Romani

ni, vtilem reipublicę Chri-
ſtianæ, ac Principis obſe-
quio miniſtrum. Conua-
leſcentem ex morbo, mo-
nebant amici, hortabar e-
go: vt imposterum, ad re-
laxandum animum auram
ſubindè captares. placuit
affectus, & videbaris tem-
peraturus aſſiduitatem ſo-
litudinis, quia non ſoles
honeſta petentibus quic-
quam denegare. Præua-
luit tamen zelus (quod à
pluribus obſeruatum eſt)
exactiſſimè ſeruiendi Do-
mino tuo, & genius pene-
trandi ſapientiæ arcana. vt
morem gereres ijs, qui cũ
autho-

authoritate cõſulebant ſanitati tuæ:neſcio quot milliaria confeciſti ; ſed tam paruum fuit hoc temporis interuallum: vt poſt reditum, quidam ob recupe-ratam ſanitatem tibi gratularentur, non tamquam ex Caſtello Vrbi adiacente redeunti, ſed ex cubiculo exeunti. Quandoquidem extrà Muſæum, nil te delectare videtur, præter obſequium Deo, & Principi præſtandũ, vel ſimile quid pertinens ad commune bonum; patere, Te à grauioribus ſtudijs, in ipſo Muſæo pauliſper auocari,

ad perlegenda obiter Peregrini mei itinera. fateor non eſſe dignum hoc, eruditione tua mnnuſculum; audeo tamen: quia in partua offerentibus, vbi Mercatores in adamante æſtimant pretium, generoſi animi, in ære minuto, dignantur affectum. Vale. Dabam Romæ ex æde Peregrinorum Nationis Theutonicæ x. kal. Ianuarij anno 1676.

Illuſtriſs. & Reuerendiſs.
Dominationis Veſtræ

obſequijs addictiſſimus

Godefridus Luſſius.

Re-

Reuerendiſſime Pater.

REuoluto operę Reuerēdi Domini Godefridi Luſſij Presbyteri Buſcoduçenſis, cuius Inſcriptio, PEREGRINVS, à Reuerendiſſimo Patre Magiſtro Sacri Apoſtolici Palatii mihi credito, ne dum obuiam haud occurrit quid Catholicam pietatem offendat; imò pietatem ipſam pro ſingulari ſcopo ab Authore proſpectam; ad hanc mirifico ſui ſtyli artificio ſingulas huius Libri lineas, in omnibus huius vitæ cuiuſue ſtatus operationibus dirigit inſerendam. Præclarum opus cùm humana eloquentia reſperſum, tum Chriſtiana virtute refertum, ex quo non niſi virtutum fœtus parturum promittit Studioſus Auctor; qui dum cuiuſuis

a 6 con-

conditionis Peregrinum e-
docet viam vergentem ad
Patriam, eamdem ſibi, ſuo-
que nomini aperiens, ante
quam occumbat immorta-
litatem anticipat.

Ego Philippus Grottieri Romanus Clericorum Minorum Theologiæ Lector, necnon Sacræ Congregationis Indicis Conſultor.

Im-

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sac. Apoſtolici Pal.

I. de Ang. Archiep. Vrb. Viceſg.

Imprimatur

Fr. Raymundus Capiſuccus Ord. Præd. Magiſter Sacri Ap. Pal.

Reuerendo ac Nobili Viro,
Domino Godefrido Luſſio
Vander Sloot Patritio
Buſcoducenſi.

QVo Godefride ruis? patriis procul exul ab oris:
Itala feſtinis quo capis arua fugis?
Tanti Roma tibi eſt: vt opes & auita tuorum
Picta fagis ſpernas ſtemmata, picta togis?
Tanti Roma tibi eſt? vt honores claraque ſpernas,
Indè Senatoris, Conſulis indè decus?
Tanti Roma tibi eſt: non tantum limina Petri,
Sed plus quæ Romæ eſt, intemerata fides.

Has

Hac te Roma trahit, quondam traxitque parentes :
Quid loquimur plus hac, te Solymæa trahit.
Sed quid ego memoro proauos? hos patria quorum
Conſilijs dudum floruit alma, canat.
Te Godefride cano, quem Relligioque, Deuſque
Quem Solymæa trahit, quem Sacra Roma trahit.
Quid cano, non pedibus Solymam, aſt affectibus itur.
Plus Romana fides, quam benè Roma placet.
His pedibus tendis Solymas, & tendere, quiſquis appetit,
His pedibus, te duce carpat iter.
Nec opus eſt ſpatium mutare : immobilis eſto :
His pedibus, Solymas, quilibet ire poteſt.
His pedibus monacho, quamuis arctiſſima clauſtra :
Ire poteſt Soymas quē ſua clauſtra tenent.

His

His pedibus Parocho, quamuis ſit cura ſuorum,
Ire poteſt Solymas, quem ſua cura tenet.
His pedibus, vigilet, quamuis in carcere miles;
Ire poteſt Solymas, quẽ ſua vincla tenent.
Quis neget æthereas Solymas aſcẽdere poſſe?
Ars tamen artifices, quos facit eſſe domi.
Quis neget æthereas Solymas aſcẽdere poſſe?
Quem quoque coniugij vincula ſtricta ligant.
Quiſquis is eſt demum, Solymas cui ſcandere mens eſt,
Si benè fungatur munere, perueniet.
Perueniet quiſquis benè munere fungitur: hoc eſt
Quod Godefride doces, quod Godefride facis.
Perueniet quiſquis benè munere fungitur ergo.
His pedibus Solymas, ſcandere

re

re poſſe datur.

O Vtinam tantum Solymas, tot ſcandere vellent,
Quot tua vota ferunt, quot mea vota ferunt.

Frater Folcoldus Knobbaert Ordinis Præmonſtratenſis Canonicus B. Mariæ de Tongerlo.

IN-

INDEX CAPITVM huius Libelli.

CAPVT PRIMVM.

Peregrinus per varios ſtatus, atque officia ad Patriam tendit. pagina 1.

CAPVT II.

De varijs ſtatibus, atque officijs vitæ præſentis. pag.4.

CAPVT III.

Examinantur aliqua de vocatione ad vitæ ſtatum, atque officia vitæ præſentis. pag.8.

CA-

CAPVT IV.

Quid conſiderandum Deliberanti de Matrimonio contrahendo. pag. 13.

CAPVT V.

Quibus expediebat in Cælibatu permanere. pag. 24.

CAPVT VI.

An Clericatus, ſiue Sacerdotium extra Clauſtra ſine cura animarum Peregrino cõueniant. pag. 34.

CAPVT VII.

Quid conſiderandum ante Religionis ingreſſum. pag. 43.

CAPVT VIII.

De Officio Parochi. pag. 59.

CA-

CAPVT IX.

De Officio Epiſcopi. pag:80.

CAPVT X.

De Officio Principis. pag.108.

CAPVT XI.

De Officio Miniſtri Status. pagina 128.

CAPVT XII.

De Officio Doctoris. pag.148.

CAPVT XIII.

De Officio Militis. pag.156.

CAPVT XIV.

De Officio Iudicis. pag.170.

CAPVT XV.

De Officio Aduocati.pag.188.

GA-

CAPVT XVI.

De Officio Medici. pag. 196.

CAPVT XVII.

De Oficio Mercatoris. pagina 206

CAPVT XVIII.

De Officio Agricolæ. pag. 212.

CAPVT XIX.

De Officio Artificis. pag. 220.

CAPVT XX.

De Officio Aulici. pag. 228.

CAPVT XXI.

De Officio Coniugatorum. pag. 244.

CA-

CAPVT XXII.

De Officio Tranſcendentium. pag. 252.

CAPVT XXIII.

De Officio Gaudentium dum alij plorant. pag. 258.

CAPVT XXIV.

De Officio implicante. pa. 264.

CAPVT XXV.

De indifferētibus ad vitæ præſentis ſtatus, atque officia. pag. 271

CAPVT XXVI.

De Summa rerum. pag. 274.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMAN.

Perc-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Peregrinus per varios ſtatus, atque officia ad Patriam tendit.

CAPVT PRIMVM.

HOMO ille (quem propter ſolã virtutem, Deo atque hominibus æquis rerũ arbitris, acceptum nuper honorifico titulo hominis Dei, inſigniui) hic Peregrinus introducitur, per varios ſtatus, ac vitæ humanæ officia ad cœleſtem patriam Ciuium, ac domeſticorum Dei ſedem proficiſcens. Etſi enim ob concatenationem virtutum, ſaltem quoad præparationem animi, atq; ex hypotheſi quadam omnium virtutum actus etiam heroici, ſingulis hominibus Dei conueniant; ad Eccleſiæ tamen pulchritudinem pertinet, diuerſorum officiorum, & ſtatuum munera, diuerſis perſonis diſtributa inueniri pro neceſſitate multarum actionum, quæ in illa quoad praxim neceſſariæ ſunt. Sic dicimus in magna domo non ſo-

 lùm

lùm vaſa aurea, & argentea, ſed lignea, & fictilia reperiri, cui comparat Eccleſiam Apoſtolus, & Propheta Reginam eandem appellat, varietate circumamictam, vtpotè doctrina Apoſtolorum, confeſsione Martyrũ, puritate Virginum, lamento Pœnitentium ornatam. conſideratus homo Deḫabſque reſpectu ad multitudinem, mores in ſeipſo componere ſatagit; vt pars familiæ, bonum ſocietatis domeſticæ procurat: tamquam reipublicæ membrum vitam ſuam in ordine ad bonum totius Ciuitatis, ſiue reipublicæ inſtituit. Vix dignè ad communitatis gubernaculum aſcendit, qui domus propriæ curam negligit, minus qui propriam vitam ante non compoſuerit. Triplicem Peregrino noſtro monſtrabo viam, qua ad patriam tendat, vt nimirùm familiæ, vel reipublicæ adminiſtrandæ idoneum ſe exhibeat, ante omnia ſuiipſius curam ſuſcipiat, cuius iacturam totius mundi lucrum non compenſat. ad ſtationem eum veluti militem voco Hieroſolymam profecturum, & cum barbaris nationibus pugnaturum: & quoniam non ped i bus, ſed affectibus iter hoc peragendum eſt: quibus armis victoria pa-

randa erit? An ſufferentia onerum matrimonij, vitæ auſteritate, Eremi ſolitudine, obedientia in Clauſtro, continentia in Clericatu, Animarum cura, vigilantia Paſtorali? An verò moderatione Regni, conſilio, doctrina, armis, magiſtratus, authoritate, medela, patrocinio, induſtria, ſudore, labore, ſeruitute? Hæc erunt præcipua opellæ huius officia, quæ mentes peregrinorum nimia ſollicitudine occupant, corpora immenſo labore fatigant. nimirum ad eandem Ciuitatem proficiſcentibus varietas mediorum occurrit; nam per mare nonnulli, alij flumine vecti illud iter conficiunt, quidam equi vel quadrigæ adminiculo, imò alij non ſine ſarcina pedites. puſillanimitas cordis humani vix capit inæqualem hanc ſtatuum, officiorum, ac honorum ea comitantium diuiſionem; verum vbi dignitatis fulgoris, officij ſublimnitatis, ſtatus celſitudinis ratio habenda non eſt, in extremo die, ſed meriti, ac virtutis; Cur homunculi peregrini tantoperè commouemur, cum ab aliquo officio excludunt nos homines in via, quibus Deus parauit regnum in Patria?

De varijs ſtatibus, atque officijs vitæ præſentis.

CAPVT SECVNDVM.

SVb capite Chriſto multa membra vnum corpus ſumus, quorũ vnum alteri dicere nequit opera tua non indigeo; imò quæ videntur mẽbra corporis infirmiora eſſe, neceſſariora ſunt, & quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundãtiorem circumdamus. in homine (cui omnis creatura famulatur) duo ſolum curanda ſunt, Anima ſcilicet & corpus: vt tolerabilis ei fiat peregrinationis amaritudo. formidandũ humeris angelicis, curãdæ animæ onus ſuſcipiunt Epiſcopi, in ſtatu perfectionis conſtituti, dignitatis gradu, ſublimitatis officio. quibus proximè accedunt Religioſi, vel ſolitudinis incolæ, qui veluti Angeli terreſtres contemplatione diuinitatis venturam poſt hanc peregrinationem, requiem deguſtant, vel ex vtraque vita mixtam quandam vitæ rationem ducentes, in myſtica illa Scala Iacob, partim aſcendunt ad cõtemplationem ſummæ bonitatis, par-

tim

tim deſcendunt ad opera benignæ charitatis. Soliditatem etiam aliquam ſtatus ſortiuntur Clerici, maximè illi, qui ordinibus ſacris decorati ſunt, quibus implicitè Caſtitatis votum annectitur; nam etſi beneficia eccleſiaſtica poſſidere, ſiue dimittere poſſint, numquam tamen ad ſtatum ſæcularem admittuntur, ſiue ob curam animarum deterriti receſſerint, ſiue ob Capituli difficultates, atque diſcordias. reliqua pars hominum vel in cœlibatu de ſtatu eligendo deliberat, vel matrimonij vinculo, mulieri alligata, per varia officia vitæ præſentis, onera familiæ alleuiat, vt præteream quoſdam otio ita deditos, vt quemlibet vitæ ſtatum temerè carpant, nullum officium amplectātur, æternorum immemores, præſentium contemptores. Principibus prima cura eſt ex legitimo Toro hæredem relinquere, qui ſub iiſdem regiminis ſecretis, ad immortalem nominis famam Stirpem illuſtrem deducat. huic honor, vita, ac bona ſubditorum commendata ſunt, vt pacificè inter ſe, ſecuri ab hoſtibus vitam tranſigant, annonæ abundantia gaudeant. Vix reperias natum inter delicias tā graue onus regiminis abſque adiuto-

re ſubire; vnde opportuna occaſio naſcitur aliquem ex aulicis, vel ſympathiæ beneficio, vel ob rerum politicarum peritiam vocari in partem laboris. Si ſapit hic, non ſuopte ingenio rem adminiſtrabit, ſed ſapientioris conſilio vtetur, vt ſi infeliciter quod ſtatutum eſt euenerit, non temerè id imperatum eſſe demonſtretur. Forſitan hoc loco Doctores reponendi ſunt, qui quodlibet ſcitu neceſſarium Principi, vel ſubditis, facili methodo ſtudioſis Tyronibus nouerint inculcare. prolixus forem ſi genera omnia officiorum, quæ neceſsitati vitæ præſentis conſulunt minutim indagarem; ſufficiat præcipua attingere ad quæ tanquam capita, reliqua facilè reducentur, ex quibus omnibus mortalium occupationes vtplurimum deplorandæ, niſi ſpe patriæ mitigarentur facilè colligi poterunt. Sanè milites in ſummo honore habendi ſunt, qui cum tanto vitæ periculo iniurias Principi, vel reipublicæ illatas vindicant. Magiſtratibus ſua laus eſt, qui Principis locum tenent in adminiſtranda iuſtitia, reſeruata ei gratificandi authoritate. Sequuntur Aduocati, qui facultates, ac bona iniuſtè occupata

ſepe-

repetant, vel petita defendunt, Medici, qui corporibus infirmis medelam afferunt: Mercatores, qui ſingulari induſtria ſocietatem hominũ per reciprocam bonorum communicationem conſeruant: Agricolæ, qui terræ fructus cum ſudore procurant: Artifices, qui multo labore, Communitati inſeruiunt, ſubminiſtrantes aliquid ex propria induſtria, vt pecunias percipiant de aliena: Aulici, qui perſonæ Principis, ac Magnatum operam ſuam addicunt. Taceo adinuenta ad delicias, ludos, & pompam, innumera ſenſuum exteriorum oblectamenta ſub nouæ inuentionis innominatis artibus conſtituta. In tanta officiorum varietate ſi petas ad quam metam mortales colliment? Reſpondebunt vtique ſe Hieroſolymam proficiſci, homines quidem Dei per perſeuerantiam, peccatores per pœnitentiam. Certum eſt quod tandem omnes in vnũ conuenient, ſed heu! omnes in iudicium, plurimi ob naturæ fragilis inſtabilitatem, in ſupplicium.

Examinantur aliqua de vocatione ad vitæ ſtatum, atque officia vitæ præſentis.

CAPVT TERTIVM.

QVi ad eminentem ſanctitatis gradum à Dei miſericordia electi fuerunt, vel geſtantibus vterum matribus, vel parientibus, ſæpè portentoſis quibuſdam ſignis, vocationis ſuæ indicium hominibus dederunt. reliquorum puerorum mores prudenter parentes obſeruant, cum in ipſo rationis limine particularem quandam naturæ inclinationem nō obſcurè, pueri etiam ludentes diligenter obſeruantibus patefaciant. nā cum lignum fumigans Deus non extinguat, credibile eſt, per inclinationem huiuſmodi, vocationis diuinæ quoddam ſignum dari. Si paruulum quis habeat tunc ſolùm nutrici blandientem cum lacte indiget cæteroquin vndequaque circumſpicientem, & cum viris ludentem, ab hoc aliquod virile expectandum eſt, & curandum, vt literis operam det, quibus ad inſigne aliquod facinus in Eccleſia, ſeu ſæculari politia idoneum

ſe exhibeat. Erit ex pueris quidam fratribus ſuis ſemper moleſtus, aut verbis eos terrens, aut verberibus afficiens, qui obiurgatus à parentibus, deſiſtit quidem, à vexa Germanorũ, ſed clanculum è domo in plateam erumpit, atque ignotos quærit, quibus cum deſiderium pugnæ expleat hunc prudens Parens, ſacræ militiæ Hieroſolymitanæ Equitibus tradet, præceptis militaribus imbuendum, vt contra Mahumetanos generoſæ indolis fortitudinem ſuam demonſtret, ſiue in Campo Martis belgico pro conſeruanda Regi Catholico, patrimonio dimicet. Videbis inter tuos, aſſiduum tibi in frequentanda Eccleſia Comitem; domi Altaria conſtruere Presbyteros in cantu imitari, ac veluti perorare ex ſuggeſtu: Cui graue non erit, tribus vel quatuor Sacerdotibus Sacrum facientibus aſſiſtere: obſerua ſi præter Tintinnabuli, ſonitum aliquid ſerij puerum moueat, ad protrahendam moram in Eccleſia, & maximè, an domi à nemine iuſſus coram imagine ſacra, extra refectionis, ac ſomni capiendi tempora, genua flectat, & pro bono omine accipe, hunc deuotum Eccleſiæ Dei miniſtrum fore. Alter,

relictis fratribus libentiùs in gynęcio cum ſororibus ludit, nec tædio afficitur longioris ſermonis (qui fermè totus de crepũdijs eſt) nonne tibi videtur, hunc, etſi primogenitus non fuerit, ad contrahendas nuptias eſſe aptiſsimum. moris erat antiquitùs pueros Monachis cuſtodiendos tradi: nunc in Cœnobijs mulierum, puellæ recluſæ ſeruantur. facillimum eſt, vt pronus ad pietatem ſexus, tot Virginum exemplo, ad perfectionis ſtatum propendat; ſed maturè perpendendum eſt à parentibus, an puella ob amorem conſanguineæ, ob loci nitorem, atque amœnitatem, ſeu ſimiles leuiſsimas cauſas, habitum religioſum ſuſcipiat? An parentum conſilio mota, quod ob reuerentiam reijcere non audet? An verò ex puro ſalutis, ac perfectionis deſiderio? quoties contigit pœnitere vineæ vẽditorem ſui contractus, dum ab emptore auream falſi numinis ſtatuam ab immerſa Idololatriæ gẽtilitate ob hoſtium timorem ſepultam, excauari videt, quia cogitat ſe potuiſſe de Principis licentia theſauri inuenti partem non ſpernendam, in licitos vſus conuertere. creſcente corporis vigore fortſitan à non volentibus edo-

ƈta de iſs, quæ Coniuges morigerati ſolent ſub ſilentio tegere, ſuſpirabit ſibi voluptatem ereptam eſſe, quæ licita ei ante vota fuiſſet, pœnitere incipiens de his, quibus oporteret fortiter reſiſtere. Si nobili cuidam patrifamilias Iobi aduerſitates Deus immiſerit, ſic tamen vt deperdita bonorum ſubſtantia filij eius ſuperſtites manſerint: quis non videt à Dei prouidentia Collegio Canonicorum mitti Sodalem, Cœnobio Monachorum fratrem? Cohorti, ſeu ſacro militiæ ordini Tyronem. prodegit quis patrimonium ſuum: cuius partem picta alearum Regina abſtulit, partem ficta ancilla: num laqueo hic præ deſperatione ſe ſuſpendere cogitur, ſiue latronum conſortio aſſociari? Deus mortem peccatoris non vult, ſed vt conuertatur, & viuat. Dic illi, vt ad illorum Congregationem confugiat, qui facultates non curant, ſed bonam hominis pœnitentis voluntatem. Suſpecta meritò eſt in aëre loquentis de magna luce vox: nec facilè quis ſe dignum credat cui in perſona Chriſtus Dominus appareat, ſiue Angeli eius. Valerianus intra cubiculum, orantē videns Cæciliam, ac ſtantem iuxta

eam Angelum Domini, nimio terrore correptus eſt. Scire cupis quid à te Dominus requirat? iam dixit vt patrem tuum, & matrem tuam honorares. Franciſca Romana, vitæ auſteritati plurimùm addicta, voluntati tamen parentum humiliter obtemperans, Laurentio de Pontianis nupſit, cum quo neceſſe erat vitæ ſuæ rigorem relaxare. probent parentes filias ſuas; An quæ virum petere erubeſcunt, ob latum pro cæleſti Sponſo, generosè recuſent? Laudabilis obedientia erit, quæ Deum potius quàm homines audit. Dominus qui Saulo loqui dignatus eſt, eū tamen ab Anania doceri voluit; cuius loco ex mille electus, ille ſit, cui vitæ tuæ rationes committere ſoles. Diuus Philippus Nerius non alium Angelum expectauit, cuius imperio ad ſacrum Presbyteratus ordinem aſcenderet. Chriſtus Dominus (qui petentibus promiſit vt acciperent, quærentibus vt inuenirent) iam Prophetæ os aperuit docentis nos orare. Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me: An qui ſe perſequentem illuminauit, humiliter ſe deprecantem non exaudiet?

Quid conſiderandum Deliberanti de Matrimonio contrahendo.

CAPVT IV.

VAno timore agitantur qui periturum genus humanum exiſtimant, niſi ipſi vxorem duxerint, cum tam pauci ſint qui conſilia Euangelica amplectantur. Si dicerent ruinas Angelorum à filijs fidelium implendas eſse, qui tam pauci ſunt cum paganis, ac cæteris infidelibus comparati, ad Dei gloriam pertinere videretur propter hunc finem onera matrimonij ſubire. Satis communis eſt nubentium intentio, vt qui diù in perſona vitam protrahere nequeunt, poſteritati, glorioſi nominis famam à filijs per ſucceſſiones propagãdam relinquant. Fortius illorum animis impreſſum eſt hoc procreandæ ex legitimo toro prolis deſiderium, quo à pluribus ſæculis nominis familiæ gloria, Cæſarea, ſeu regali dignitate inſignita, communi reipublicę Chriſtianæ bono coniungitur. ridiculum eſt, ſi in hoc negotio tantum ſtudij collocent medioeris fortunæ homines: vt pro Auſtriaca, ſeu Borbonica

Stir-

Stirpe (ſuper quas familias, veluti ſuper Mundi polos tota Chriſtiani orbis machina voluitur) poſteros procurare videantur, cum parum reipublicæ intereſſe omnibus notum ſit, ſi ſine hærede diſceſſerint. qui contra fornicationem vxorem ducere deliberauit, ex verbis Apoſtoli authoritatem deſumpſit: ad alia remedia illos confugere oportet qui Caſtitatis voto ſe obſtrinxerunt. contra paupertatem nonnulli opulentæ mulieris dotem adhibere ſtatuunt, cum quorum intentione, ſubſiſtit quidem matrimonij valor, ſed multum honeſtati eius derogatur, cum nobilioribus Sacramenti finibus, tam vilis admiſcetur pecuniæ cupiditas, vt qui ita nubit, minus perſonam amare videatur, quàm nummorum abundantiam. Si in vna muliere pietatem, virilis ingenij acumen, egregiam formam inuenias, & quę per dotis ſuæ amplitudinem commoditatem tuam augere valeat, ac nobilitate fulgeat: concluſum (vti arbitror) negotium eſt, vt qui conſilium Apoſtoli capere non vales amplectaris remedium; pone ſuper te tot bonorum cumuli cecidiſſe ſortem, etſi non tam acerbum mœro-

rem

rem percepturus ſis, vti illis quos deliberationis ſuæ ſerò pœnituit, non deerit tibi cauſa magnificãdi ſtatum illorum, qui à tribulatione carnis liberi, Dei famulatui ſe totos deuinxerunt. Ille qui poſtquam duxiſſet vxorem, libertatem ſe vendidiſſe aſſeruit, non intellexit ſe mulieris ſeruum factum; ſed tali negotio implicatum, vt l bertum ſe feliciorem reputaret. qui multis naturæ, gratiæ, ac fortunæ bonis ditatam ſociam inuenit, non erit tamen tutus à corporis infirmitatibus, quæ venuſtam veluti transformare videntur, non à bellorum calamitatibus, ac militum rapacitate per quam exiguo tempore vir nobilis ad egeſtatem reducitur, ac priuatus prædiorum ſuorum fructibus, fundi Dominus, duram pati cogitur rerum omnium (quibus primo abundans inopiæ plurimorum ſubueniebat) paupertatem. Et quidẽ ætate prouecti Coniuges humanæ vitæ caſus aduerſos ad virtutis materiam transferentes in meditatione ſtabuli Bethleemitici pro Domo Natiuitatis à mundi Saluatore electi, atque aceti ſelle mixti pro refrigerio, ſibi adhuc melius eſſe confunduntur, quam Domino ſuo, quibus militum

bar-

barbariea, ſaltem rel quit vbi caput reclinent; verùm cum clamores in-ſolitos in domo ſua audire incipit vir, quos à pueris exortos per Con-ſortem ſedari rogat, illa verò mæſto vultu comparens, flebilem vocem continet, ne Coniugis dolori vulnus ſuperaddat, vbi ex deſiderio panis (quem pueri non quærunt an ha-beant parentes, & vnde veniat, ſed volunt habere) oriri clamores didi-cit, ingemiſcens exclamat, ſe nobi-lem matronam innocentem cũ pue-ris feliciori patre dignis, in has ex-tremæ calamitatis anguſtias conie-ciſſe, qui poterat ſolus in vaſtiſſima Thebaide felix eſſe, vel ſolus vbique miſer. non deeſt generoſo viro ani-mus, vt pro Principe ſuo conſcriptus miles honeſtam potiùs mortem eli-gat, quàm plenam graui ſollicitudine vitam; ſed fluctuantem eius animum detinet honeſtiſſimæ Coniugis aſpe-ctus, quæ ſi iuuari pro merito ſuo nequit à viro præſente, ſaltem ab-ſentis periculum mœrori ſuo non addit; quid enim faceret abſens pro familiæ ſolatio, cui per Chriſtianæ viſcera miſericordiæ non licet talia hoſtibus damna inferre, qualia à pa-trio milite perpeſſus eſt; nihil aliud

ergo

ergò vale dicendo familiæ efficeret, quam vt Coniux iam miſera ob vitæ bellicæ incertitudinem, breui ſe futuram viduam timeret, ac filij famelici vnica ſalutis ſpe fundata in parentis prouidentia deſtituerentur: Quid ſi prima nuptiarum die menti viri Dæmon ſuſpicionem ingerat, pietatem Sponſæ non eſſe gratiæ baptiſmalis, ſed ſeriæ poſt baptiſmum pœnitentiæ effectum; atque ex quibuſdam imaginarijs, ſiue apparentibu ſignis de virginitatis flore ſublato ſubitare incipiat? nonne Carthuſiæ dincolam ſe longè feliciorem reputabit? quis ex corde ſuo ſpinam hanc extrahat? interrogata hac de re Sponſa iniuriam patitur, ſi falſa ſuſpicio eſt; ſin verò veritate nititur (cum non teneatur ſuam turpitudinem reuelare) iram finget, diuortio electo, minas necis à fratribus ſuis impoſtori inferendæ adiunget: & ecce vel ſupplex Sponſus ante puellam proſtratus veniam petere cogitur, (quæ ſe propter Dei timorem, atque ad euitandam ex fratrum vindicta orituram cædem, iniuriam remittere profitetur) vel protracta in diem mentis perturbatione, qui cum maximo populi applauſu felix videbatur

vitam

vitam impoſterùm timore, atque ignominia plenam ducere cogitur ſi viuere ei permittitur. Da mihi tam candidæ mentis hominem, qui inter virginem, ac defloratam non diſcernat, modo in futurum honori ſuo proſpiciat; ille quidem innocentem temerè non iudicabit, nec mala illa incurret, quæ ob ſeri examinis culpam, alter ille meruit. Quid facturus eſt, ſi ſucceſſu temporis cum alieno decumbentem vxorem ſuam deprehenderit? hic falſæ ſuſpicionis, ac temerarij iudicij periculum non eſt, ſed iuſtæ vindictæ ſeruanda regula. Leges taliter adulterantium occiſori, ob doloris acerbitatem pœnam non infligunt; ſed priuata authoritate occidi Deus hominem vetuit. Si corpora delinquentium occidit, occiſas per adulterij crimen animas perpetuis cruciatibus addicit, ac ſe ipſum vulnerat; ſi verò teſtes vocat, vt in iudicio accuſati rei condemnentur, tres ſimul familias inhonorat, ex quibus illi maius opprobrium paſſuri ſunt, qui adulteram filiam, vel ſororem vocant! O quam dura res in capite, quam amara in corde! non rarò contigit, læſum in honore, dum de vindicta deliberat, ſed manſuetu-

dinem dubiam reddit, à flagitioſis præueniri, qui ſub ſpecioſo tam ſpiritualis vitæ acquirendæ, quam corporalis conſeruandæ titulo, minus malum reputant, virum innocentem ad inferos præmittere, quam pœnam peccati ſui, cum tam incerta pœnitentia ſuſtinere. rectè recinit qui nubere volenti ſuaſit, vt pari nuberet; nam ſi nobilitate virum fœmina ſuperat, dicetur illum eſſe Dominæ maritum; ſi verò ingenio inferior eſt, cum caput mulieris vir eſſe debeat, iam braccas accipiet mulier, ac tali marito porriget flabellum. Pulcherrimam inter mulieres elegiſti? caue ne nimius amor tuus zelotypiam talem generet: vt ex leuiſſimis cauſis ſociam temerè iudicans, ipſa more fœminarum impatiens, ex rudis conſcientiæ ſcrupulo, ſe ſollicitantibus conſentiat, vt tu à mendacio libereris. propterea ſapienter vitam ſuam inſtituunt, qui vrbis illius incolæ, in qua monarcha reſidet, non curant, eminentem ſuper cæteras pulchritudine fœminam in vxorem ducere, eò minus quo in aula Principis paucioribus ad honorifica officia patet aditus niſi cælibem vitam duxerint. Fac vt in baccharali-

bus

bus (quando tartareæ legiones ad fidelium perniciem orbem terræ veluti curſores perambulant) Vxor tua celata ſit, ſi formoſam duxeris; nam cum abundantes opibus, optimè nouerint eſcam, quæ mulieribus arridet, graue peeiculum præ foribus eſt, vt (qui cum Apolline ſemel in anno ridere volunt) capiantur in [illegible] in indiuiduo. Placet hæc Regula (quam plerique approbant; nec pulchram,neque deformem vxorem quærendam eſſe; nam pulchritudo aſpiciētes attrahit, vt laudent; ſi quis autem laudat merces, quas emere nequit, neque precariò accipere, timendum eſt, quod furto eas auferre procuret. Laborantem deformitate ſi duxeris, videbis eam totam ferme dotem, ad corporis ornamentum, ſecum vbique portare in ſupplementum naturæ, & tunc ſi auribus captus non es, audies Populi tranſeuntis ſuſurrum; pulchriorem eſſe tabula picta coronam. indigni ſunt, vt inter viros probos nominentur, qui ex vulgato coniugis ſpecioſo corpore quæſtum faciūt; ſed alloquor eos, qui cum ad egeſtatem redacti ſunt, per Dotem mulieris reſtaurari cupiunt; illa enim ſi

opu-

opulentiſſima fuerit, non dabitur mendico, ſin verò mediocris fortunæ, vix duobus Dominis cum famulatu neceſſario Dos eius ſufficiet. quod ſi poſt menſes aliquot ſerua obſtetricem vocet, obſtetrix nutricem. qui paulisper eductus è paupertate reſpirauerat, in maiorem calamitatem incidit, cum durior poſt abundantiam egeſtas ſit. Conſideret mulier quo fine quis illam in vxorem poſtulet, ſi ideo vt deſerat meretricem. Illud quidem Chriſtiano homine dignum opus eſt, ſed valde timendum erit: vt memor Scortorum impudentiæ perfricta fronte viris blandientium, ad vomitum redeat, maximè cum deperdito flore pulchritudinis malè valere incipiunt recens nuptæ, quia vterum ferunt. Si ideo deſideretur vt per dotis amplitudinem, vir miſeriam ſuam ſubleuet, non curaturus egenam: mirum quod propter ſolam pecuniam ſe amantem reſpiciat. Pone in eleganti forma Viri amorem fundari: quid erit ſi puſtulæ quæ matrimonio iam inito ſuperueniunt eam ita deforment, vt timendum ſit, labefactato fundamento, ruiturum ſuperædificatum illi amoris ædificium? quid ſi ludo addictus

perdere vt plurimùm ſoleat, impatiens factus blaſphemare, domum rediens contra innocentes inſurgere, ſubſtantiam ſuam prodigere, negotia domeſtica negligere? nonne melius eſt nullum habere, quam talem virum? Etſi nihil horum Puella timeat, poteritne partus dolores effugere qui pluribus mulieribus mortem attulerunt? Quis pericula filiorum enarret, qui iam adulti fortè propter homicidium ad mortem cõdemnabuntur; & ſi fœminæ ſint, ſollicitatæ deflorabuntur, cum ſummo parentum dolore, ac dedecore. putabit Puella ſe veluti libertate donari cum à parentum obedientia emancipata, nubit viro; ſed tunc maximè ſeruitutem incurrit, cum vir magis eam obſeruet, quam Dominus ſeruum. Scire namque volet quo vadat, quam Eccleſiam frequentet, & cum honorari ſe exiſtimat ſeruorum comitatu, illos, actionum vxoris exploratores maritus dedit, vt obſeruent à quibus ſalutata fuerit in platea, quibus, & quomodo ſalutata reſponderit. mirabile quod numquã viro ſatisfaciet; nam ruſticam dici ſuam vxorem non vult ſi non reſalutet; humanam non vult, cùm reſa-
lutan-

lutantem notet. Rogati ab Alexandro Macedone Germani, quidnam in humanis rebus præ cæteris exti meſcerent? illi ſe in primis timere responderunt, nè forte in ſeſe aliquãdo Cælum rueret. valde remotæ rei metus hic erat. propiora ſunt quæ ſupra memoraui, non tamen abominabiles nuptiæ. *Si* enim omnia iſta mala vni acciderent ac fermè omnibus nuptias contrahentibus merito homines extimeſcerent; cum vero quædam rariſſimè, alia numquam eueniant, quibuſdam viri prudentia remedium inueniat; hinc eſt quod audacter homines matrimonia ineãt. Non ceſſat mercator ſulcare maria, quia nauis aliqua ſubmergitur, neque miles ob commilitonis vulnera, ſiue mortem, cohortem deſerit. prouectioris ætatis homines ob multarum rerum experientiam raro in hoc negotio quidquam niſi ſemiebrij pro ſe concludunt. Adoleſcentes immoderati ſenſus latentes non conſiderant ſub roſa ſpinas; mirandum ſanè quod Sponſus ille in Cana, præſentia Domini, ac Virginis nobilitatus, tam morigeratis hoſpitibus tempeſtiuè nõ proſpexerit de merè neceſſarijs; quis enim in die nuptiarum non procuret

cibi

cibi ac potus abundantiam? An ſub hac negligentia myſterium latet, à contrahentibus nuptias, ante omnia Chriſti Domini præſentiam quęrendam eſſe, ac Virginis Sanctiſſimę præſidium, cætera Diuinę prouidentiæ committenda. Si ab igne concupiſcentiæ vri times, nube; melius enim eſt temporalia aliqua mala timere, vel ſuſtinere, quam ęterna bona amittere. Si ex aiio fine honeſto ad nuptias inclinas, etſi in ſtatu perfectionis non eris nihil prohibet te poſſe eſse perfectum. proſpera tibi cuncta euenient, ſi Virgini obſecutus fueris. illa tibi conſulit vt facias quod filius eius dixerit. Tu vide quid dicendo, iuſſerit

Quibus expebiat in Cælibatu permanere.

CAPVT V.

PEr leges definitum tempus eſt tã maribus, quàm fœminis quo cęlibes eos viuere oporteat. quibus ad contrahendas nuptias admittendis, probatio incumbit, ſi de ambobus dubitaretur eos vel duodecimum annũ non excedere, vel decimumquintum

non

non attingere. ſicuti ætate, ita & ingenio, & authoritate virum fœmina præſtantiorem eſſe conuenit. pleriq; adoleſcentulos matrimonio iungunt, vt ante obitum poſterorum aſpectu delectentur. Alij bonis artibus eos primò excoli volunt: vt redditurus Domino ſuo rationem adminiſtrationis ſuæ ſeruus, non ſperet ſub capitis familiæ ruditate, tegere fraudulentam negotij ſui prauitatem. prudenter Religioſis viris extra conſpectum parentum educandos filios ſuos plerique tradunt, donec ad ętatem peruenerint, quæ ad maturè deliberandum de ſtatus electione idonea eſt. Virtus enim (quæ non ſine labore acquiritur) magnum à domeſticis commodis recipit obſtaculum. prona eſt ad malum adoleſcentia, & ſi parens in filium ſuum delinquẽtem durius animaduertit, à pietate matris improuida miſeratione commotæ, iræ paternæ ſubtrahitur; vnde fit, vt parum timeat impoſterum flagellum patris, expertus teneritudinem matris. Timendum ne veluti ſoli naſcenti applaudant filio ſerui: vt factus Dominus omnium licitè ijs benefaciat, cui in multis viuente

patre non ſine crimine obſecundare conſueuerunt. vix ſine pecunia luditur, in qua ſubminiſtranda, ſi Pater paululum tenax fuerit, qui timebat prodigum fore filium ſuum ſi pecunia abundaret, experietur furem, quia illa caruit. dum huic malo remedium adhibitum eſt, crederes ſublata omnia ruinæ ſpiritualis pericula (cũ meretrix propter ſolã pecuniã amet virũ) niſi à praua viuendi cõſuetudine inſtigatus adoleſcens, matris ſuæ pediſſequam ſcorto ſubſtitueret. & ruſtica damnum pudoris non æſtimat, quod vir nobilis ei infert, falsò ſibi perſuadens poſſe ſe ream eſſe ſine dedecore matrem, quæ ob culpam Patris, non habebit ſine nota ignominiæ, filium. Vtriuſque ſexus proli ad contrahendas nuptias ordinatæ, ante vigeſimum quartum annum opportunè ſuccurre, ne maſculi vitijs irriciti poſteritatem corrupto ſanguine inficiant, fœminæ veluti ſuperadultæ cauſam diſpenſandi præbeant. Prouidus Paterfamilias, qui filias nubiles habet, aliquas famulorum actiones diſſimulat, atque ignorantias tolerat, ne dimiſſi ob ceſſans in otio lucrum,

facti impatientes, Domini ſui ſecreta reuelent, ſiue ex malignitate, quædam non audita componant. fœminam tamdiu remanere innuptam, ex corporis, vel animæ defectibus oriri, ſeu paupertatis, implicatæque Dotis anguſtia communis fama eſt, niſi tantùm de naturæ dotibus puella præſumat, vt ex multis ſibi oblatis viris, nemo illi placeat; illa autem ei quem ipſa vellet, ſuperba diſpliceat. hinc eſt, vt multis rationibus adductam in matrimonium cum vno viro (in quo minus inuenit quod vituperat) virginem ſuam parentes conſentire procurent vel in virginum cœnobio commorari, vt negotio humano adiunctæ preces ad Deum fuſæ, quid in re tam graui ſtatuendum ſit, dilucidetur. non rarò contingit ſeruos à Domino dimiſſos obiter interrogatos cui antea ſeruiuerint, & ob quam cauſam à Domino receſſerint plura dicere, quam cupiat interrogans ſcire, & ſi puellæ in illa Domo pauliſper deformes ſint, ipſi monſtruoſas dicent, ſi hilares, obſcœnas, ſi iracundas, rabioſas. Interrogati de facultatibus, dicent

 prę-

prædia illarum eſſe quidem multa, ſed terræ ſterilis: Vineas non paucas, ſed in talibus locis ſitas, vt nec à directis, neque à reflexis Solis radijs illuminatæ vuas ad perfectionem perducant. Stomachatur auſcultans ingratorum hominum loquacitatem, & cũ domi ſuæ magis ſcabioſa pecora alat, non temerè conijciens peiora dicturos de ſe ac ſuis; ſi inuiti ab eo diſceſſerint, apparentes quaſdam rationes allegat, nihil concludendi, vt eos recipiat, ſed tacitè Domini (cui maledici detrahunt) iniuriam vindicans, ac ſibi cauens eos dimittit mœſtos, quia nouerunt ſe à Domino dimiſſos, neq; ſciunt ſe à nouo Domino admiſſos. Vbi facultas adeſt, communis eſt parentũ ſententia, vt Virginũ honeſtati ante quam vigeſimum ætatis ſuæ annum attingãt vir cuſtos adhibeatur vel Cęnobij maceria. Sed quid dicemus de Belgio noſtro, in quo vltra quadraginta millia Virginum in domibus parentum, vel in recluſorijs (quæ Beghinagia vocant) degunt, quæ nec virum quærunt vtpote ſimplici Caſtitatis voto adſtrictæ, nec Monaſterij limitibus ſeſe conſtringere intendunt, in domo pa-

paterna dantes viſitatione ſolatium, vel accipientes in propria?& quidem tanta ineſt hiſce puellis modeſtia, vt ſolæ per plateam ambulantes viris in ædificationem ſint, cum expreſsè ſæcularis faſtus oſtentationem (ſub qua veluti ſub hedera vinum venale puellas matrimonio deſtinatas adoleſcentes dignoſcere ſolent) in veſtibus depoſuerint. res noua extraneis eſt, in tanta libertate tutam eſſe pudicitiam, ac ſpontè peragi à iuuenculis, quod in pleriſque Regionibus á Coniuge Maritus, à virgine parens non ſine precibus impetrat, honoris ſtimulis adiectis minis, ac fabrorum induſtria adhibita. Hinc ſatis perſpicuum fit, licet ex eadem maſſa vbique genitæ mulieres ſint, multum referre à quibus parentibus originem trahant, & an ſub torrido, an verò ſub frigido Climate. Fatendum non tam celebrem eſſe contra carnis incentiua in regione Septentrionali victoriam. Sub torrido verò Climate Inimicus eandem Adæ maſſam cibi, ac potus calore, elementorum alteratione, ſiderum influxu pro ſe militantibus, crudeliter oppugnat, ac ſæpè expugnat. vbi veró fortiter re-

 ſiſten-

ſiſtentem non deijcit, huius glorioſior eſt de hoſte triumphus. Eremitam coelibem quidem eſſe decet, ſed non ita ſui iuris, vt non niſi generali vinculo, Ordinario loci, ac Principi obſtrictus, vitam tranſigat extra Oppidorum, ſeu Ciuitatum recinctus habitantes Eremitas exilio mulctati homines multoties aggreſſi ſunt, primò quidem alimenta, deinde pecunias poſtulantes, quas ob Dei amorem a fidelibus, pauperibus tributas ad pias cauſas, Diabolus in ſceleſtium manus collocari deſiderat. Quas ſi dare noluerunt, vel locum, in quo reconditæ erant reuelare, crudeliter necati ſunt. ab hiſce animi perplexitatibus ſe eximit, qui cęlibatum ſuum, in Congregationis virorum Religioſorum ſeptis reponit. viduis adoleſcentulis, quæ ex viro ſuo prolem non ſuſceperunt, vel viro pręmiſerunt (cum virgines Deo ſacræ murorum ſuorum clauſtra non concedant) da maritum. illa verò vidua, quæ prolis vtriuſque ſexus mater eſt, cur viro ſe ſubijciat, cum ſubditos habeat quibus poteſt imperare. Si excipias nobiles, atque opulentas fęminas, quæ nupturæ ſe-

cundo

cundo viro ita relinquunt filios ſuos vt non deſerant, cum de ijs, gentiles viri defuncti plurimùm ſolliciti ſint: Vidua annoſa non propter rugas, ſed propter pecunias deſiderabilis à viris, cur amari cupiat, ſi cauſam amoris negat forma, negat fortuna? Si verò iunior eſt, dum nouum virum in domum introducit, terret pueros ſuos, qui pręter parentem, ac ſeruos non aſsueuerunt cum viris conuerſari, prouectiores ętate filios ad iram prouocat, quia primam fidem irritam fecit. pone vitricum tanta humanitate præditum, vt filios alienos diligat, quia filij vxoris ſuæ ſunt, ſanè ſi proprium ei filium vxor pepererit, qui nouo accedit amor, à filiis primi Tori recedet, & cogetur mulier, ſine cauſa, magis fauere vltimo, quæ in eodem vtero geſtauit primos. hic iacitur odii, ac fratrum diſcordiæ fundamentum. Sapienter Iudas Machabæus non ſolùm formidoloſis, ſed & iis qui ſponſabant vxores dixit vt rediret vnuſquiſque in domum ſuam; ex quo colligimus nemini forte magis inter laicos, quam militibus cęlibatum congruere; niſi enim cęlebs miles fuerit, ex facili formido-

 loſus

loſus efficitur : nam ſi de vxoris fidelitate non dubitat, non tam vitam ſibi auferri metuit, quam vxori ſuæ virum ; ſin verò in fide fidei coniugalis titubat, magis vxoris ſuæ amicos, quam Principis ſui hoſtes timet. Ignauiæ arguuntur nobiles Belgæ etiamſi coniugati fuerint, ſi ſtatutis temporibus ad bellum non procedant. Viragines regionis illius, non minus bellicam gloriam, quam pudicitiæ laudem ambiunt, ac malunt ſine viri conſortio ad tempus viuere, quàm ſemper ſine fortitudinis mariti honore. De filio vnicè dilecto mater, de Coniuge Coniux, de Fratre Soror (qui omnes pro Rege ſuo militabant) ſic pronunciauère animoſę, aut redeant cum honore, aut cum honore pereant. poſtquam Alexander, Nobilibus ſecum enutritis, adhuc viuens Regnum ſuum diuiſiſſet, omnes ſibi poſt mortem diademata impoſuerunt, & multiplicata ſunt mala in terra. rectè ex hoc Politici arguunt ad imperii conſeruationem, plurimum conducere, ſi ab vno capite gubernetur. ex qua conſideratione primogenitorum iura deriuata ſunt, quæ poſtmodum etiam

in

in familijs priuatis œconomicâ acceptauit, ſic temporali bono proſpectum eſt: ſed videndum an fratres natu minores virtutem colant; nam quid iuuat Marchionum,ſeu Ducum titulis familiæ capita decorari, ſi cæteri vitijs illaqueati turpiter Dæmoni ſeruiant? Ex patre Diabolo interpres ille fuit, qui ſacræ militiæ vota à germano ſenſu detorſit: vt Caſtitatem in Eccleſia ſeruandam ſolum eſſe diceret,obediétiam in conuitio, paupertatem in lectulo. ſanè ſi ſub Cruce ordinis Equeſtris tam exigua pietas lateret vt leuiſſima æſtimaretur illorum tranſgreſſio, quæ ſunt totius Religionis fundamenta: timendum ne dum primogeniti natu minoribus temporalia bona inæqualiter diſpenſant, atque hi pro mundi gloria capiti familię optima cedunt (per quod Chriſtianam viuendi regulam oeconomicis rationibus ſeruire faciunt) vtrique æternorum bonorum iacturam patiantur. Si Regula vitæ humanæ à prauorum hominum exemplo deſumenda eſſet: Coelibes iam dicti liberè viuendi licentiam ſibi arriperent, verum legi Dei ſubiecti (quę immaculata, nil

turpe iubet, nil prohibet honeſti) ex omni conditione iam monſtrauère quid cũ Deo poſſit ſine muliere vir, quid ſine viro mulier.

An Clericatus, ſiue Sacerdotium extra Clauſtra ſine cura animarum Peregrino conueniat.

CAPVT VI.

PRudentia oeconomica vnum ex filijs familiæ generis propagationi deſtinat, per alterum enſe cinctũ, damna honoris illi illāta propulſat, vel iniuſtum aggreſſorem deterret: Tertium Clericali militiæ adſcribi curat, vt ſtatui laicali decorem non ſine vtilitate adiungat. non rarò totam familiæ adminiſtrationem Clericis laici committunt; cum enim ſtatum hunc prodigalitas vitijs iuncta maximè dedeceat: minus malum timent, ſi ad tenacitatem paulisper propendant, quàm in vtilitatem familiæ aliquando conuertendam ſperant. Incredibile namque videtur eos, qui multorum, ac maximè pauperum ſollicitudinem gerunt, obliuiſci ſuorum. Egenis (quibus potiſſimum

ſimum in bona Eccleſiæ ius eſt) adſcribi laici non recuſant, adhibita tali diſtinctione, vt pauperes non ſolùm dicantur qui pecunijs indigent ad vitę neceſſaria, verùm etiam ij, qui ad conditionis honeſtatem. ſi licet Clerico eleemoſynam nobili extraneo erogare, qui pane quidem nō indiget, ſed vt coram eiuſdem conditionis hominibus à vulgo diſtinctus honorificè compareat: non video cur eam ſuis deneget. Sed cauenda in latitudine neceſsitatis vaſtitas, in vaſtitate immenſitas; vt non contingat eum nec ſibi, nec ſuis proſpicere, ſi ille malè dederit, hi malè acceperint. multa alia ſunt, quæ ſine perplexitate dantis, atque accipiētis carum ſuis Clericum reddunt, dum viuit, & ex morte ipſius conceptum à cōſanguineis dolorem non mediocriter leniunt; etſi enim Clerico emere non liceat, vt vendat, conſeruare ei licet quod ex patrimonio poſsidet, ac partem fructuum ex bonis eccleſiaſticis liberę eius diſpoſitioni à ſapientibus determinatam, à frugalitate ſua auctam, cum toto patrimonio ſuis legare. ſic lætitiam ſuis viuens cauſat, moriens lachrymas abſtergit; & quidem ſi ſermo de illo

eſt qui ſub obedientia Patris degit, neque particulari Eccleſiæ, ſtatutis quibuſdam menſis diebus, atque anni menſibus operam ſuam impendit, longiores dies ipſi videbuntur, quas in exempto à ſæcularibus negotijs Eccleſiaſtico ſtatu, fermè totas veluti ferias in laudabili otio tranſigi oporteret. & tunc obſerua, ſi alearum, talorumque ludi, venatio, piſcatio, & ſimiles occupationes (in quibus præcipuum vitæ ſuæ tempus, nec ſæculares quidem laudabiliter conſumunt) grauitati perſona Eccleſiaſtica dignæ nihil detrahant. ijs qui celebrem aliquam Ciuitatem, & precipuè Romam inhabitant optime prouiſum eſt; vt illud diei ſpatium (in qno ad rerum diuinarum contemplationem minus idonei ſunt) in varijs Chriſtianæ pietatis exercitijs fructuosè impendere valeant. Sicuti corporis quieti concedi noctes hyemis ampliſſimas ſuperfluum Clerici fatentur, ita laudabiliter duci poſſe vix capiunt, niſi ab eo qui variorum voluminum copiam congeſſerit: ex quorum penuria oritur vt ſi quis ad fugiendas otij ſordes, ſaltem in minimis reipublicæ prodeſſe ſtudeat (ne tantùm ad conſumendas terræ fru-

ges

ges videatur idoneus) in aliquo miſcellaneo veluti Acetario confuſaneo, nec textum alleget, neque citet authorem, cum ex fontibus domi ſuę haurire nequeat qui ex auri fodinis pinguis patrimonij ante non hauſit. ab amicis tanta difficultate interdum accommodatos libros accipimus, vt præſtaret illos à Bibliopola emere . Bibliotheca verò publico vſui deſtinata, de nocte nemini patet, de die non tunc, quando à rebus agendis vacationem concedit tempus, vel vacationi ſtudium concedit animus. D. Auguſtinus fœminarum & inter illas Sororis, & Fratris filiæ contubernium, familiaritatemq; vitauit: non quod propinquæ mulieres ſuſpectæ eſſent, ſed quia extraneæ ad eas ventitantes poterant ſuſpicionem efficere. tamdiu quam ſub parentum cura Clericus adoleſcens eſt: maiorum reuerentia facit, vt non alijs oculis ancillas Matris ſuæ aſpiciat, quã vt obſequium aliquod ab illis accipiat, quod vtriuſque ſexus hominibus licet petere, licet reddere. verùm ſi parentibus orbatus, cum reuerentia timorem perdidit, nouum periculum ſimul exortum eſt, vt per otium, vitiorum omnium ſeminarium præcipitan-

pitanter diffluat. Tutiores videntur qui Diuinis officijs in aliqua Eccleſia intereſſe tenentur, ac ſacra myſteria per vices peragere. quæ cùm indignè tractare vnuſquiſque perhorreſcat, vehementer animum hominis commouent, vt in virtutis curſu ſtabilis perſeueret, ſeu poſt lapſum citò reſipiſcat. quidam in iſtis Sodalitatibus anxij ſunt, num in tanta feſtinatione decantantes horas, debito ſuo ſatisfaciant? quæ ſollicitudo non ita excruciat Laicos, qui Diuinis officijs intereſſe tenentur, ob ſolam ſymphoniam. vtrique cum reuerentia coram Deo aſſiſtere tenentur; ſed maior eſt Eccleſiaſticorum obligatio, quos ad Diuinas laudes decantandas, & ſuffragia defunctis applicanda fundatorum pietas ampliſſimis prouentibus locupletauit. Si ordines illos excipias (in quibus corpus per varias macerationes in ſeruitutem redigitur, ſiue mens in loci ſolitudine Deo dicata exercetur (quæ vitæ genera, non omni hominum temperationi adaptari queunt) non video cur Clerici (quibus ſalus propria magis cordi eſſe debet, quam propinquorum vtilitas) ad illa Religioſorum Collegia non confluant, in quibus ita

mo-

moderata eſt vitæ regula, vt omnes honeſtate ſua alliciat, neminem auſteritate deterreat. inter huiuſmodi collegas, liber à corporis cura animus in affectum pietatis aſſurgit, dū ſuaue ſonantis Eccleſiæ vocibus, per grauitatem, & pauſas canentium, clarè diſtinctis, acriter commouetur. neſcio quodnam inter duo præſtantiſſima vitæ bona (quibus Religioſi poſt ſpiritualium dulcedinem gaudent) præualeat: An ſub ſapientiſſimis viris Tyrocinium ponere, ac frui eorum contubernio? An verò Scriptorum fermè innumerabilium in quolibet ſcibili diu meditatas,atq; ab eruditis viris approbatas ſententias in Bibliotheca (quæ omnium eſt, quia nullius eſt) poſſe indagare,atque admirari? mediam quandam propoſuit D. Philippus vitę clericalis viam, quæ licèt ad perfectionis Religioſæ ſtatum non pertingat, ſanè ad illum proximè accedit. Semel Deo Religioſus, omnia ſua generosè obtulit; ſed cum repetere ea nequeat, ſi per infirmitatem humanam ad rerum terrenarum amorem denuò propendere inceperit, grauiſsimæ ruinæ periculum ei imminet; & ſi eum declinauerit, fortè ob vitæ ſpiritualis incu-

incuriam multùm ſibi de virtutis eminentis, ſuo ſtatui debitæ, merito, detrahit. Illi qui D. Philippi inſtitutum ſequuntur, non ideo ſeipſos, ac ſua omnia ſimul Deo non obtulerũt, quia negare ea voluerunt, ſed vt ſæpius ea offerre, non coacti neceſsitate præcepti valerent, atque hilaritatem datorum (quos Deus commendat) tædio ſpiritualium aliquando affecti, non amitterent. Si externum corporis habitum excipias (qui ad perfectionis menſuram minimum quoddam fuit) Congregatio hæc, proprijs ſtipendijs militans, more Religioſorum, Templorum nitore delectatur, cum deuotione, ac grauitate officia Diuina peragit, orationi inſtat, ad verbi Dei prędicationem ſtudia ſua confert, peccatores primo terret, deinde allicit, benè ambulantem hominem Dei animat, Peregrinum docet. optabile eſſet, vt quælibet fidelium Ciuitas ſimilis Congregationis auxilio, etiam diebus ferialibus operibus ſpiritualibus vacaret, niſi omnes fere Ciues in quibuſdã locis, ob tenuem fortunam tenerentur Domi emptorem expectare, vel iniunctum ſibi ab alijs artis opus perficere; honeſtiores verò qui opibus
abun-

abundant, ſed peccatorum grauium turpitudinem perhorreſcunt, ad teſſerarum, atque alearum ludum conuerti ſolent, vt longitudinis diei tædium auertant. quibus etiam opportunè pijſſimus Fundator prouidit; vt cum laſſati in ipſo ludo, veluti varietate delectari cupiunt, confugientes ad Templum, ibi gratiſſimum florum vtriuſque Teſtamenti odorem inueniant; atque vbi ad imitandum perarduum videtur Chriſti Saluatoris exemplum, in purorum hominum infirmitate, editis virtutum actibus, ad pietatis imitationem, geſta Sanctorum audientes, accendantur. O quam potens eſt, ſine fuco verborũ, pulſans aures cordis humani; fidei dogmatum veritas! Vrbium ſaluti (à quibus fere totius Religionis bonum dependet) proſpexit Diuus Philippus: Caſtella circuire cępit Congregatio quædam (quam Miſsionis appellant) quæ fracturos paruulis panem, miniſtros ſuos, Parochis in auxilium, certis anni temporibus deſtinat. opportunum valde ijs locis ſubſidium hoc eſt: quorum anguſtia Religioſorum clauſtra non capit. ad adimplendum difficillimum Religionis Catholicæ præceptum (quo iubemur

bemur quibuſdam temporibus cordis noſtri arcana Sacerdoti reuelare) nihil magis alleuiat peregrinum ſecreti ſui tenaciſsimum, quam ſi peccata ſua illi confiteatur cui notus eſt, vel illi cui planè ignotus. Cum verò lōge plures reperias qui ignoti ignoto eſſe cupiant: illa loca,quæ vnicum duntaxat Sacerdotem alunt, qui forte plurimos conſanguineos, affineſq; in ſpiritualibus ſibi ſubditos habet, Clericos Miſsionis huius veluti Angelos recipiunt, & quidem ex illis, quos ſub ſolo capite alatos pictores ſine corpore depingūt, cum proprijs ſumptibus ne quidem alimenta petentes, inſigne hoc charitatis opus perficiant. Vtraque hæc Congregatio ad Religioſorum modeſtiam, ac grauitatem proximè accedit;nec mirùm quod in dies incrementa ambæ ſuſcipiant, quæ laboris ſui mercedem à ſolo Deo expectant,non anhelantes ad pingues beneficiorum prouentus, neque ad Eccleſiaſticas dignitates. Gradus quoſdam perfectionis Chriſtianæ,Laici in miniſtris Eccleſiæ conſiderant: vt iis quidem, qui merè neceſſaria ad victum petūt; partem bonorum ſuorum libenter impertiant, ſed magis admirentur

illorum

illorum virtutem qui vltrò oblata ſibi munera reſpuunt: optimos verò iudicant qui propria ſua pauperibus elargiuntur, nec tamen ſpiritualia alimenta populo ſubtrahunt. nunc reſpondendum ad capitis huius quæſitum. Si Clerico, mœrorem ſolitudo facit, periculum ſocietas: eat ad ſubleuantem infirmos, piorum virorum Congregationem. Parocho libertas quædam conceditur. cùm ſæcularibus tractandi, quia officii ratio id exigit; ſæculares enim ab hoc dicuntur non quia ſæculi nequitiæ participes ſunt, ſed quia veluti ſal ad condiendos, vel extinguendos putores peccatorum in illud immittuntur. Cauendum ne ſal infatuetur; nam ſic ſæculum inſulſum maneret, & quis eſt qui Clerum condiret?

Quid conſiderandum ante Religionis ingreſſum.

CAPVT VII.

QVælibet Creatura in operando, bonum aliquod intendit: ad quod vel ſeipſam dirigit, vel ab Authore naturæ, veluti ſagitta in ſclopũ à iaculante iacta dirigitur. Videmus

ina-

inanimata corpora ad loca ſibi congrua totis viribus tendere, vel conari. Ignis à ſphęrico corpore impeditus per rectam lineam ſuam aſcendere, propinquiorem lambit: Lapis potentioris agentis vi extra centrum detentus ſi motus ſui obicem non tollit, grauitando conatur. in Angelis (cum nihil fuerit quod retardaret, aut impediret) natura illorum in obiectum felicitatis ſuæ vel naturalis, vel ſupernaturalis, ſecundum totam ſuam virtutem, móta eſt. non omnis Peregrinus ad patriam feſtinat; eſt qui excuſationes prætexit, Leonem in via formidat, Domum hic ædificare videtur, non tabernacula figere. mirabile quod in ijs, quæ ad corporis, ac vitæ temporalis commoda pertinent, multum temporis impendit, optima eligit ſi poteſt, propinquiora his, ſi impeditus fuerit à fortiori. non modò expertum quærit Medicum ſi ægrotat, ſed & velocem equum ſi itineri ad terrena negotia efficienda ſe committit. ipſa Taberna, quæ per horas aliquot ſeruiet, optima eligitur, multo magis Domus, quæ per annos. Optat vxorem quæ pietati opulentiam coniunctam habet, nobilitati elegantiam

for-

formæ. in modico ſuadeo lectorem ad Religioſorum cœtum confugere. cur enim ſicuti cæteræ creaturæ non totis viribus ad finem noſtrum tendimus? cur non optima, & ſecuriora media ad conſecutionem illius eligimus? Sanè ſicuti imitari Angelos perhonorificum eſt, ſic alias omnes non ſuperare, turpe. Qui duo præcepta Charitatis adimplet, Homo Dei conſtituitur, & per viam Regiam Peregrinus *incedit.*; ſecurius tamen ſi Conſilia Euangelica amplecteretur, veluti holocauſtum ſe offerens Deo per temporalium bonorum abdicationem, delectationem carnis, imò propriæ voluntatis. Exhortari poſſumus ad meliora, quia Dominus conſilium dedit, obligare non poſſumus, quia pręceptum non dedit. nimirum Eccleſia ob varietatem ſtatuum, atque officiorum formoſa eſt: vniuerſum hoc, multis, ac variis conſtans partibus, admirandũ Dei opus. innumerabilium Angelorum tot ſpecies extare, quot indiuidua conſtanter aſſerit S. Doctor Angelicus, quibus ſecundum gradus naturalium data ſunt dona gratiarũ Myriades hominum ſimilium facie, & aſpectu, differre inter ſe, non exi-

exiguum eſt in laudem Creatoris argumentum. in Domo Dei manſiones multæ ſunt, quæ diuerſis Peregrinorũ meritis correſpondent. Abraham impigram fidei deuotionem nos docuit, Iſaac ſinceræ mentis puritatem, Iacob ſingularem animi, laborumq; patientiam, Iob in aduerſitate conſtantiam, Dauid manſnetudinem, atque inimicorum dilectionem. de Confeſſore Pontificali dignitate fulgenti ſic pronunciat Eccleſia. Non eſt inuentus ſimilis illi qui conſeruaret legem excelſi, Quid eſt hoc? niſi quod ſapientia Dei, diſtinctionis rerum, & inæqualitatis cauſa, diuiſionem donorum ſuorum in Eccleſia poſuit, ordini naturæ intexens ordinem gratiæ. multum tamen intereſt ſcire dignoſcere quid cuilibet virium ſit, quodue talentum, ad ſtatum aliquem ſuſcipiendum: hinc eſt quod negotium ſalutis æternæ ſeriò perpendens adoleſcens quidam, Conſiliarium quæſiuit, qui multarum rerũ experientia edoctus, quæ aſpera illi videbantur, in plana duceret, eo magis quia ad tutiorem adſpirabat Religionis viam. Repertus ab eo eſt vir ætate grandæuus, qui ſeptem Eccleſiæ Sacramenta partim ſuſce-

perat,

perat, partim adminiſtrauerat. ab hoc laudatus quod amore perfectionis flagraret, & conſilium de menſura virium ſubmiſſo animo peteret, monita hæc animaduerſione digna libens auſcultauit. An Religionis ſtatus ad conſeruandam innocentiam, vel de peccatis præteritis ſumendam vindictam accommodatus ſit: temerè in dubium reuocatur, poſtquam Dominus hoc mortalibus ad ſalutem conſilium dare dignatus eſt, ſi vis perfectus eſſe vade, & vende vniuerſa quæ habes, & ſequere me. Nec quiſquam proprijs viribus diffidens, dicere audeat ſe ſtatum perfectionis, atque onera Religionis ſubire, ac tolerare non poſſe, cum in eo qui confortat puſillanimes, omnia poſſimus. Dubium eſſe poteſt vtrum ille, qui Religioni ſe offert, ſpiritu Dei ducatur, an ſimulatè accedat. Is cui res tam anguſta domi eſt, vt in publico comparere erubeſcat, & clam multa pati cogatur, pauperratem fugere cenſetur, ſi abundantem bonis temporalibus congregationem, ingredi determinauerit. periculoſius fortè erit, ſi mendicantium cœtui aggregari cupiat, daturus occaſionem malignantibus, ſe commoda aliqua tem-

temporalia ſectari cum æſtimatione coniuncta. honeſtius ad Religionem aſpirat qui ſub viris præclaris Tyrocinium ponere intendit, vt bonis artibus inſtructus, ad officia Eccleſiæ ad multorum ædificationem inſtituta reddatur idoneus. fateor minus ſuſpectos eſſe de fictione illos, qui bonis temporalibus abundant, & paupertatis Chriſti veſtigia ſequi proponunt. Cæteroquin etſi pauperes nec cenſum, nec pecuniam deſerere propter Dei amorem valeant, poſsũt affectum ad temporalia contemnere, Apoſtolos Domini imitati, qui præter nauem, ac retia vix quidquam poſsidebant. ſicuti à nauigantibus ſcopuli fugiendi ſunt in mari, ita adſpirantibus ad ſtatum perfectionis deſiderium commodorum corporis, ſanctitatis fama, in ſolo habitu fundata, promotionis ad gradus etiam extra clauſtra poſt ſtudia expenſis Monaſterij abſoluta. non nego varia eſſe Diuinæ prouidentiæ media, quibus rebelles hominum voluntates compellit, & maxillas eorum conſtringit vt veniant ad ſe. vidimus perſequentem fideles Saulum in terram deiectum eſſe, & lumine oculorum ad tempus priuatum in alium virum

mu-

mutatum fuiſſe. ferocitas Equi quendam alium è ſella excuſsit, vt proſtratus veſtem pretioſam luto macularet, quapropter eum puduit tam ſordidũ inter homines conſpici, ſeu potius ignarum artis equitandi iudicari. aggregari Religioſorum familię voluit, quæ mulierum, de virorum qualitatibus leuiter iudicantium, ſententias non exquirit. fortè ſimile quid paupertas operatur in multis ditantes, eos prouidentia Dei, vt meliora eligant pertæſi ludibrij mundanorum. Gratias ago Creatori meo, quod inter millia & decies centena hominũ millia & amplius, mihi talem natalis locum concedere dignatus eſt, in quo ſola Religio Catholica florebat: Parentes quorum cura ſacri baptiſmatis Sacramentum mihi collatum eſt, educatio ingenuo viro digna communicata. Iuuit me non procul ab Epiſcopali Palatio commorari, vt Confirmationis Sacramento corroborarer quamprimum ætas, ac rationis capacitas me fecere idoneum. nam vbi Diœceſes ampliſsimæ ſunt, videmus adoleſcentes grandioris ſtaturæ, imo barbatos ſubinde in Templis publicè ſe præſentare, quod negligentiæ eorum adſcribendum eſt,

qui friuola quædam non negligunt, ſeriora non conſiderant. Guſtabam dulcedinem cibi præſtantiſsimi viatorum, & ardebam deſiderio magis placendi Deo per mundi contemptũ, vnde ad ſtrictioris obſeruantiæ Congregationem me contuli, in qua commoratus per menſes, neſcio an ob corporis imbecillitatem an ob animi inconſtantiam: vel Religio non mihi placuerit, vel grauis Religioni repertus fuerim. probaui faciliorem vitæ Regulam apud alios, quorum victus palato magis arridet, veſtimentum aſperitate non cruciat; ſed iterùm ſociorum mores diſplicuerunt, vnde ante vota ſecundò ad parentum ædes rediui, iniuſtas de alijs querelas afferens, qui mutationum harum causã in memetipſum refundere debebam. placuit Parentibus Vxorem mihi deſtinare, vt vel ſic ſaluti animæ proſpiceretur per licitam voluptatem: quandoquidem perfectiorem vitæ regulam iam bis à me reiectam deprehenderant. obediui miſer, à ſenſibili bono allectus, & per mulieris vel blandientis, vel plorantis aſtus in principio deluſus, ac veluti incantatus, temporis progreſſu expertus fui, quam ſuaue Christi

iugum,

iugum, & leue onus ferrent Religioſi etiam illi, qui arctiſsimam vitæ regulam ſequuntur. forſitan in vultu, in moribus, in ſilentio, deprehendit vxor, me pœnitentia motum, atque illa veluti deluſa, ira excandeſcens, ſed ex animi elatione ſecretum cordis tegens, morbo affecta eſt, & a Medicis originem mali ignorantibus curata, ſeu potius expedita: vtinam lætior in patria, quam me reliquit hilarem in via! noli mirari ſi omnia, quæ mihi acciderunt, vt ſunt imprudens electio ſtatus, parentum dolor, murmuratio populi, moroſitas Vxoris, cumulum aliquem humorum in corpore congeſſerint, qui vitæ meæ periculum afferrent. videbar ad extrema momenta deduci, atque ideo tribus Eccleſiæ Sacramentis (quibus grauiter ægrotantes alleuiari ſolent) munitus, propoſui, ſi conualeſcerem ex infirmitate, me, reliquæ vitæ tempus poſt ſacrorum Ordinum ſuſceptionem, deuotè Dei famulatui oblaturum. Exiſtimabam optimam hanc vitæ rationem; nam leuitatem meam experti Ordinum Superiores, denuò me ad habitum non videbantur admiſſuri, aliunde facile etiam homini vulgaris talenti eſt, Epiſcopo

 obe-

obedire, qui tam facilia, & generalia iubet; deinde temporalium bonorum ſufficientiam habenti, graue eſſe nequit, in proprijs ædibus ad ſuum beneplacitum omnia dirigere, vt nihil fere agendum ſuperſit, præter Horas Canonicas perſoluere, ac Sacrificium Deo offerre; quæ, cum duarum fere horarum ſpatio perfici poſsint, quam intolerabilis ingratitudo foret, tantundem ex horis duodecim, hominem Dei famulatui dicatum, pro honore quidem Maieſtatis Diuinæ, ſed magis pro animæ propriæ ſalute, non expendere. Audiuiſti ad quem Cōſiliariū confugeris, cuius nolo vt exemplum reſpicias, ſed ſermonem profectum ex intenſiſsimo dolore cordis, quod alij modo ſuadeat agendum id, quod tam turpiter ab eo neglectum fuit. Dic mihi ſi ſalutis æternæ ſpem, vitæ perfectioris, ac tutioris præſidio corroborare ſtatuiſti; cur domi tuæ non incipis virtutum ſemina iacere, quæ ad perfectionem in Religione perducas; ſi enim in modico fidelis non es, ad quid maiora aggredi? melius enim eſt non vouere, quàm poſt votum promiſſa non reddere. & ſi tibi illud, vah, non placuit, abeuntibus ijs qui ædi-

ædificare cœperant, à Viris loquacibus obiectum: re adhuc integra, maturè delibera, quod ſemel ſtatuas, ne cordis tui leuitati attribuatur ſi à bono propoſito deſiſtas, quod ob corporis imbecillitatem dumtaxat, cordati diſsimulant. ſi modò à parentibus corripi ęgrè fers, ac fratrum tuorum mores impatienter ſuſtines: quomodo ſuſtinebis imperium alieni, qui fortè non ſolum ruri natus eſt; ſed ruſticanis moribus imbutus? quomodo plurium opiniones tibi eo magis aduerſantium, quo viderint te contradictionem illorum ferre moleſtius? De pretioſo cibo quia non bene præparatus eſt, quereris domi, quomodo vilis placebit alibi? in molli culcitra numeras de nocte horas: an lectus durus ſomnum dabit? Laſſata ob vigilias natura dormituriens, ad maturinas Deo cantandas laudes vocaberis, ignauus ſi maneas, vanus ſi ſolùm ad fugiendam ignauiæ notam à lecto diuellaris. niſi firmiter propoſueris ſæuum corpori tuo inferre bellum; ſuaderem opulentam Religioſorum domum eligendam eſſe, in qua ad carnis macerationem à rerum ſufficientia, facilis tranſitus eſt, neque ad exorituras ratione penuriæ

moleſtè toleratæ querelas via patet. etſi renunciatio temporalium bonorum, atque corporalium delectationum, præcipua ſint Religionis fundamenta, principem tamen locū inter ea tenet propriæ voluntatis abdicatio, qua quælibet fermè actio in Religione condienda eſt, cùm ab alterius arbitrio ita pendere deceat tyronem, vt nihil appetat, nihil reſpuat niſi quod à Superioribus illi præſcribitur, ſiue inclinationi propriæ id repugnet, ſiue intellectui modò non conſtet Diuinæ legi præſcriptum illud aduerſari. Sæculares omnifariam voluntati ſuæ ſatisfaciunt, in qualitate rerum, in quantitate, in tempore, in modo. tali cibo veſcuntur quem appetunt, tantum ex illo comedunt, quantum natura capit, tunc quando placuerit, conditum vt palato arridet. veſtibus vtuntur vt non modò contra frigus aeris ſe muniant, ſed contra calores ſe ſe exonerent. & ſi ad beneplacitum Francorum veſtiri vnumquemque mos inualuit, vt liberum non amplius videatur, aliter in publicum prodire; liberum tamen illis eſt, formæ Gallicę arbitrariam ſubſternere materiam. qui verò ſtrictiorem vitæ Regulam in Religione

am-

amplexi ſunt, ac Deo ſolemni voto dicati redire ad ſæculi libertatem nequeunt, gaudent iam ſibi non licere, quod cum detrimento ijs licuiſſet. O felix neceſſitas quæ in meliora compellit! dicunt ſe ab Eremi incolis didiciſſe quàm paucis ſit contenta natura, quàm ſapidum cibi condimentum fames, quàm ſuauis potionis ſitis irritamentum. Cibo vtuntur ad naturæ neceſsitatem, non ad guſtus delectationem, Veſte vnica contra frigus potius (quod naturam deſtruere natum eſt) quàm ad declinanda caloris incommoda: Solliciti vt tecta ſint modeſtè corpora, ne nuda appareant pudicitia animæ. patienter tolerant ſi canere iubeantur dum ſomnum appetunt, parati differre iter ſi ad ambulandum inclinant, vt domeſtica negotia peragant. aliud eſt quod periculosè animum illorum exagitat, nimirùm dum præponi ſibi alios conſpiciunt ſe poſtponi, vti minus idoneos ſeu veluti incapaces negligi. Crederem ad magnos quoſdam viros, ac ſolos pertinere dominandi cupidinem, niſi inter piſcatores contentio facta fuiſſet, quis illorum videretur eſſe maior? & quidem de Aſſeſſore agebatur inter Diſcipulos

C 4 qui

qui regnaturo (quem terrenum, ſapientes terrena, arbitrabantur) eſſet à Rege primus. quid autem eſt in Religione (in qua æqualis rerum omnium diſtributio fit ſi infirmos excipias) quod ad præſidendum alliicere poteſt virum cui notum eſt, tutiorem eſſe ad ſalutem ſubiectionis, atque obedientiæ viam? quis cupiat aliorum curam ſuſcipere, rationem Deo pro animabus illorum redditurus, hoc ſolo ſuper cæteros eminens: vt primus intret, ſedeat, ſurgendi ſignum det, atque exeat? qui ita diſpoſitus eſt vt inter Religioſos nouiſſimum ſemper locum electurus (de quo controuerſia nulla eſſe ſolet) illud Euangelicum (Aſcende), poſt hanc vitam expectare paratus ſit cōtentus alimentis, atque ijs quibus tegatur: huic ego proſperrima apprecor ad Religionem properanti & ſi in bono propoſito perſeuerauerit cęleſtem hominem Dei vocabo, ſiue terreſtrem Domini Angelum. hic finem dicendi fecit Senex, prorumpens in lachrymas, quod potentior in ſermone fuiſſet, quam in opere, hoc ſolum ab Adoleſcente poſtulauit vt pretioſi temporis iacturam ipſo etiā ſuadente non faceret, iuuentutis ro-

bur

bur mundanis aſsignando gaudijs, imbecillitatem ſenectutis famulatui Dei. placet hic de Belgarum regulari obſeruantia nonnulla annectere, vt ex vnanimi nationum conſenſu ſeruitutis Dei ſuauitas comprobetur. Illa Belgij pars (quæ ſub Carolo Rege Hiſpanorum pietatem ſequuta) non ſolùm hæreticorum prauitatem deteſtatur; ſed & Iudæorum perfidiã nullum alium Dei cultum nouit, quàm quem à Roma matre ſua didicit; Synagogam verò tolerare non iuſſa excludit: ob rationes magni ponderis, alibi toleratam non improbat. in virorum, ac Sanctimonialium Coenobiis hunc ordinem ſeruat, vt par ſit omnium qui benè valent ſollicitudo, par impenſum infirmitate laborantibus charitatis officium. nemo præter illum (cui cura temporalium committitur) pecuniam contrectat, quam in vſus proprios minimè conuertit, ſed oblata à fidelibus æqualiter diſpenſat. vnde fit vt nemini graue videatur alteri ſubdi, nemini magnum quid, præferri. de magno Anachoritarum coriphæo Antonio legimus, tanto eum ſtudio virtutum incenſum fuiſſe, vt quemcumque videret aliqua virtutis
 laude

laude excellentem illum imitari ſtuderet. quantum refert ex omnibus Ordinum inſtitutis (quæ Sancta Sedes Apoſtolica approbauit) deliberantem de ſtatu perfectionis ſuſcipiendo, illud amplecti quod inuiolabiliter à Prædeceſſoribus obſeruatum eſt, à præſentium pietate vigorem accipit, atque ad amorem ſui, æternam ſalutem ſitientes fortiter attrahendo impellit. Siue contemplationi rerum diuinarum addictus ſollicitudinem elegeris, ſiue in hominum Dei Religioſorum cœtu, ad opera charitatis te accinxeris, tremendum illud Diui Petri dictum memorare, quod Iuſtus vix ſaluabitur; & ſi Iuſtus vix ſaluabitur, quis finis illorum, qui non crediderunt, vel qui credentes mãdata Dei neglexerunt?

* *

*

De Officio Parochi.

CAPVT VIII.

SAcerdos pro Deo legatione fungitur, maximè ille qui curam animarum ſuſcipit, ampliſſima dona hominibus offerens nomine ſupremi Regis, qui nullo indiget, & ſine quo omnis homo eget. Cum audis Regium legatum ad alios, quã ad Principes locorum diuertere non ad ſæculi negotia peragenda illum miſſum eſſe tibi perſuade. norunt Chriſtiani Principes ſublimem Sacerdotum dignitatem, atque eminentem authoritatem ſuper animam nimirum, nobiliorem hominis portionem, quam paſcere habet in mandatis Sacerdos. qui etiam Deo ob ipſius excellẽtiam exhibet reuerentiam: Sacrificio ſupremum eius in creaturas dominium veneratur. laudibus immenſam eius bonitatem, Sacramentorum verò adminiſtratione, ſalutem, ac redemptionem ab ipſo procedere cõfitetur. qui etiam Clericus dicitur quaſi in ſortem Domini vocatus, ac Presbyter hoc eſt ſenior ob iudicii maturitatem, quæ ad id muneris neceſſaria

eſt. In omnibus Sacerdotibus non vulgarem reperiri puritatem decere., quos contingit quotidie cũ Deo conuerſari, ſed ſcientiam in iis qui alios inſtruere iubentur, prudentiam verò in iis qui alios gubernare. paucis verbis, Sacerdotis huiuſmodi officium exprimi videtur, ſi dicamus, vt populo Dei bono vitæ exemplo præluceat, verbo fideles inſtruat, Sacramentorum pabulo reficiat. de longè nonnullis placet, paſtoris ſui probitatem perſcrutari, An ex inopia temporalium curam animarum ſuſceperit, An in concurſu aliorum, ob doctrinam, ac vitæ probitatem dignior cæteris inuentus fuerit? Sin minus quid cauſæ ſit cur aliis illum prætulerint? quærent qua re à grauioribus curis animum diſtrahere ſoleat? Si venationi, ſiue aucupio deditum audiunt: dicent, Dominum ad prædicandum Euangelium piſcatores elegiſſe; ſi verò alearum, talorumque ludo addictum, mirabuntur à leuiſſima occupatione, ad tanti põderis negotium tam facilem tranſitũ. ſi pecuniis illum inhiare fama eſt, verebuntur eum lucra temporalia ab opulẽtis quæſiturum, deſpecturum, vel neglecturum pauperes, niſi in

externo

externo corporis habitu, ciuili con-conuerſatione, ac verbis ſeriis grauitatem ſeruare conſueuerit, dicent primam illam apparitionem in poſſeſſione adeunda, modeſtia, ac grauitate plenam, à neceſſitate extortam fuiſſe, ne in ipſo principio, populus ab eo auerſus dilaberetur: rudiores non aliam fermè vitæ ſuæ regulam ſequuntur præter illam, quam in moribus Rectoris ſui deprehendunt. inter quos ſtolidiores errantem ſequuntur, contenti damnationis ſocium habere, quem audire oporteret vti ſanctiſſimæ legis interpretem. cordati quędam errata in eo diſſimulant, quæ vix ab humana infirmitate euitari didicerunt: grauia verò in eo reperiri egrè adducuntur vt credant facillimè non duratura. Docere iam incepit qui pietatis opera exemplo præcedens, proximo ſuo imitanda propoſuit: optimè dicturus eſt qui tradendæ populis doctrinæ, moribus ſuis non eſt contradicturus. Sed quid eſt quod diſcipulos quoſdam à venerando ſene doctrinæ multoties repetitæ tœduit? nonnè qui charitatem ſeruauit, legem impleuit? Cur audire graue illis erat quod opere exercere iucundum? Dominus IESVS Chri-

Chriſtus heri,& hodie ipſe, & in ſæcula. An alium expectamus? modò illum Saluatorem habere ſuſpiret qui Iudicem ſuſtinere formidat. apud ſapientes huius mundi ſi quis nouam quandam de re ſcibili non attulerit ſententiam magni nominis famâ nō clarebit. Nouitas in fide error eſt,& ſi quid contentum in myſteriorum profunditate Chriſti fidelibus manifeſtius proponitur, non priuatæ authoritatis, ideſt (quæ ignorantiæ, atque erroris miſeriæ ſubiacet) ſed Diuinæ, quæ in Eccleſia Dei inuiolabilis perſeuerat. modus igitur adaptandi verbum Dei, audientium capacitati attendendus eſt: vt paruulis quidem lac, prouectioribus ſolidior cibus offeratur. vbi obſeruandum eſt tenellos myſteria non capere, adultos etiam lacte paſci, ac ſimplici verborum formula commoueri; Arces in aere fundatas quidam ſtudioſus in Curia Romana ædificabat: ſolidius ſuper ingentem pecuniæ ſummam, Mercator: quos Diuus Philippus per varios gradus mente aſcendentes patienter auſcultauit. qui non deſumpto ex Apocalypſis myſteriis ſermone ad compunctionem cōmoti ſunt, ſed ſimplici verborum (quid tum

poſtea) ſubiunctione. ex quibus verbis prudentes diſcipuli, ſæculi vanitatem, mortem, iudicium, & forte gehennam, argumentati ſunt. mitigandæ à Sacri Euangelii precone vitæ huius ærumnæ cum promiſſa patienter ea ſufferentibus æterna felicitate; ſed præcipuè alliciendi homines ad cordis ingenui puritatem: vt libenti animo hilares Deo ſeruiant, non ſeruorum more, vt non vapulent, neq; mercenariorum more, vt ad ſolum præmium colliment, ſed vt ſummi benefactoris immenſæ bonitati infinito amore dignæ ſaltem quod acceperunt grati rependant. Gemmam, ſeu pretioſum lapidem auro committit Gemmarius, ſed & communem ſubinde lapillum; non addit aurum adamanti pretium, ſed annulari digito adaptat, lapillus verò communis, auro commiſſus, naturam præſtantiorem non induit. ſimile quid intendere videtur Sacri Euangelij preco, dum Sanctiſſimæ fidei dogmata ſapientiæ humanæ ornamentis inuoluit, vt ad auditorum infirmitatem deſcendat. indubitatum verò eſt, quod ſicuti fidei doctrina abſque ſæculi huius ſapientia præſtantiſſima eſt, ita n hil

ex

ex iis quæ amatoribus ſuis promittit mundus (etſi neminem falleret) cuiuſcunque Oratoris eloquentia exornatum, ne minimæ quidem Diuinæ gratiæ ſcintillæ, æquiparari valeat. hoc inter eos qui animos hominum commouere aliquo dicendi genere ſtudent, diſcriminis eſt; vt Hiſtrio quidem ad riſum prouocet inhians pecuniarum lucro: Orator ad boni publici amorem inducat, vt Ciuis optimi famam aucupetur, ſiue eloquentiæ laudem, Sacri Euangelii preco, virtutis amorem cordibus hominum inſerat: vt Chriſtum lucrifaciat auditor, Chriſtum teneat pius Orator. Sanè in Eccleſia Dei nihil ridiculum eſſe poteſt, quæ beatos pronunciat lugentes, cum materia ſacrę doctrinæ grauiſſima ſit; & ſi in conſeſſu optimatum, nullus Senator more Hiſtrionum diceret, multò minus id á Sacerdote in in Templo Dei quiſquam expectet. Ille igitur benè docet qui traditam ſibi ab Eccleſia Dei doctrinam iuxta Sanctorum Patrum interpretationem fidelibus cum grauitate proponit. vt quæ credenda ſint nouerint, quæ ſperanda, quæ timenda, quę agenda. Cùm verò precipuum Rectoris munus ſit

Sa-

Sacramenta Eccleſiæ fidelibus admi. niſtrare; hinc eſt quod ſcientiam ab illo requirimus, vt Sacramentorum neceſſitatem, atque vtilitatem ponderet, prudentiam, vt cui illa conferre, cui denegare teneatur maturè diſcernat. nihil facilius Rectori eſt, quam recens natum infantem à Catholicis Parentibus ſibi oblatum ſacro fonte lauare, vel mox moriturum adultum oleo Sancto inungere, cum vtrobique Sacramenti conſtitutiua ſatis clarè cognoſcat de intentionis verò ſuę rectitudine non dubitet. maior eſt in iis adminiſtrandis difficultas, in quibus ſuſcipientium diſpoſitio, vel materiam dubiam facit, vel Sacerdotem de forma ſollicitum. quando Sanctæ Eccleſię nomine matrimonium inire cupientibus aſſiſtit, tunc ad doctrinam impedimẽtorum eum recurrere neceſſe eſt, vt cognoſcat num propter aliquod impedimentum ad contrahendas nuptias inhabiles reperiantur. Prudens non niſi præſentiam contracturis breui exhibet, poſt factam aliorum conſilio ineundi matrimonij reſolutionẽ. nam cùm inter Coniugatos diſcordias oriri ſæpenumero videamus; ſolent hi in mediatorum conſilia in-

quietudinis ſuæ cauſas refundere. ex quo fieri poteſt Rectorem (qui omnibus ſubditis ſuis charus eſſe debet, vel nemini ſaltem odioſus) in vrgenti aliqua neceſſitate ad Sacramentorũ adminiſtrationem propter diffidentiam aliquam cum periculo animarum non vocari. in Pœnitentiæ Sacramento adminiſtrando ferè totius oneris Parochialis ſumma ſita eſt, cùm ad omnes fideles ſe extendat. quis enim eſt qui innocentiam à ſacro fonte hauſtam ad vitæ ſuæ terminum protrahat? ſemel in vita vt plurimum ſacro infirmorum oleo quilibet fidelis inungitur. Confirmationis Sacramentum fermè omnes ab Epiſcopo recipiunt, aliqui ſacros ordines: ad ſecundas nuptias pauciſſimi tranſeunt, ad Sacramentum verò Pœnitentiæ omnes conuolant, quia peccatis obnoxij ſunt. huius materia ampliſſimam diſputandi prębet materiam, cum omnes actus humanos comprehendat, qui à recta rationis regula quomodocunque deficiunt. Etſi in accuſatione ſuiipſius difficillimum videatur ijs maximè qui turpiter deliquerunt, omnes peccatorum ſpecies, atque aggrauantes notabiliter intra illas peccatorum circumſtã-

tias

tias,illorumque numerum Sacerdoti patefacere, minus tamen eſt, quod per notabile temporis ſpatium pœnitens non ſine verecundia tolerat, quàm quod in inſtanti per cordis compunctionem determinat. humanum eſt ſpiritus anguſtiæ vel remedium quærere, vel ſolatium, & hoc apud virum cui ſecretum ſibi commiſſum reuelare non licet, etiamſi per hoc ab infidelium tyrannide daretur ei totam Aſiam liberare. fac vt peccator propriam vilitatem conſideret ſupremæ maieſtatis dignitatē: pro qua re auſus ſit vermis terræ Deum Cæli contemnere, ipſemet ſe reum declarabit,paratus punire quod dolet ſe commiſiſſe. & quia quod præteritum eſt infectum fieri nequit: affectum peccati totaliter extirpare proponet, atque omnia ea quæ ad peccatū implicare cognouerit. quem piæ animæ conatum nouæ fraudis veneno Diabolus eludere machinatur, dum virtutis operibus intentam ſecreto quodam vinculo illaqueatam detinet, vt totus quidem homo ſub tyrannide ipſius occultè teneatur: totus, Dei famulatui mancipatus publicè hominibus appareat. quis crederet pleriſque fidelium tantam ineſ-

ſe

ſe inſcitiam: vt certa quædam anni tempora, vt ſunt bacchanalia, ac dies vindemiæ vitę diſſolutioni deſtinent, cætera verò in meditandis vitæ, ac mortis Saluatoris myſterijs, alijſque pietatis operibus piè, vt falso ſibi perſuadent, impendant. aliorum tanta eſt mandatorum Dei, atque Eccleſiæ, obſeruantiæ ſedulitas, quæ forinſecùs apparet, vt proximis ſuis veluti rectè viuēdi norma proponi ſoleant; quos tamen Diabolus hoc vnico implicatos tenet, naſcituram vnius anni ſpatio de inimico ſumendæ vindictæ occaſionem. quid iuuat furem Sacerdoti fateri ſe rem alienam abſtuliſſe ſi retinere eam decreuit, ac vero Domino non reddere? forſan inter plebem minutam iniuriarum compenſatio fit, vt obiectum à mulierculis meretricium, per exprobratum compenſetur lenocinium; inter viros verò conuicium Aſini, deleat iniuria hirci. Ingenui minus malum reputant iniuriam pati, quàm damnum honoris iniuria repellere. à Sapientiſſimo Viro damnatus Eques quidam iudicatus eſt, qui ad pœnitentiæ Sacramentum confugerat, detractor mendax. nimirum præuidebat homo Dei tantam linguæ facili-

tatem

tatem ſecum trahere grauiſſimam dicta recantandi difficultatem, ſiue quandam impoſſibilitatem. Reſpice ad viarũ angulos, & ſchedulas quaſdam illis affixas perlege. obſeruabis omnes ferè hæc, aut ſimilia verba continere (ſi quis inuenerit ferat) etiã addito præmio vt pauperes allecti veniant. mirabile quod ne vnicam quidem deprehendimus tenoris (ſi quis perdiderit, veniat) multæ ex his caniculæ Bononienſis, ſeu paucorũ aureorum ornamenti muliebris iacturam annunciant. de manuſcriptis aliæ, quæ à clientibus ad procuratorem, ſiue à procuratore ad Iudicem deferebantur, atque exciderunt, tranſeuntes admonent. quis vineam reſtituat, quis Ciuitatem, ecquis Prouinciam? Si tantam in rerum vilium reſtitutione difficultatem ſentiunt qui vero Domino videbantur obſequium præſtare? Vides confeſsionem auricularem non eſſe præcipuam pœnitentię partem, ſed potius cordis contritionem, ex qua promptitudo pœnitentis emanat: vt ſcelera præterita puniat, futura caueat affectum peccandi radicitus eruat, occaſiones remoueat, aliena bona reſtituat, iniurias proximo illatas compenſet. ſi

mortis

mortis articulum excipias (in quo nolens quemquam ex filijs ſuis perire Sancta Mater Eccleſia, ſimplici Sacerdoti omnimodam à quibuslibet abſoluendi authoritatem concedit) caueat animarum Rector illas ſoluere quas Superior poteſtas ligault, In ędificationem hæc à Chriſto Domino data eſt; vt ſaltem formidine pœnæ ad Deum ſuum redeant qui à charitate exciderunt. Bullam Cœnæ, Apoſtolicas Conſtitutiones, Ordinarij ſui reſeruationes, præ manibus habeat, tunc benè ſubditis ſuis imperaturus, cùm maioribus ſuis benè paruit. in ijs verò, in quibus iubetur miſericordiæ oleo rigorem iuſtitiæ temperare, ad peccatores illos tantū reflectat qui ad Saluatorem pœnitentes acceſſerunt quanta benignitate admiſsi fuerint, qua ſuauitate dimiſsi, quando ſic pœnitentes diſpoſuit, vt malint omnibus bonis priuari, quàm legem Dei denuò tranſgredi: An tunc expectandum eſt vſque ad Paſchatis ſolemnitatem, vt cibo Euchariſtico paſcantur, ne per pręcepti Eccleſiæ tranſgreſsionem mortem iterum incurrant? illud quidem præceptum datum fidelibus eſt, ne tam ſalutifero remedio omnino priuarentur

rentur, ſiue indigni ad illud accederent iudicium ſibi manducantes, à principio autem non fuit ſic: nam inter miſſarum ſolemnia poſt Sacerdotem, Chriſtiani in dies hoc cibo Angelorum recreati ſunt, atq; adeo confortati, vt pro Chriſti fide alacres mortem obirent. & quidem tunc aduerſus carnem & ſanguinem potiſſimùm colluctatio erat, nunc periculoſiùs aduerſus principes tenebrarum, dimicandum nobis eſt, & quo magis pugna producitur, eo minus certa victoria noſtra redditur. Viliſsima Hebræorum gens ſuper cibo cæleſti (qui omnis generis ciborum ſaporem continebat) nauſeare cæpit, memor ceparum, & alliorum, quibus ſub dura Pharaonis ſeruitute veſcebatur. Corporalium ciborum hic comparatio fit: & ſtolida gens, viliſsima olera præelegit cibo de Cælo miſſo, qui extra naturæ ordinem à Deo productus præſtantiſsimus fuit, ſicut poſtmodum à Chriſto Domino in Cana ex aqua productum vinum. Turpius fideles illi delinquunt qui terrenorum bonorum inordinato amori implicati, veluti Barrabam Chriſto præponunt, grauioris criminis rei, quia nō figuram reijciunt,

ſed

ſed cunctis gentibus deſideratum, quo intellectus humanus excogitare nil melius valet, Diuina potentia nil dare præſtantius. in paſsibili corpore videns Ieruſalem Dominus fleuit ſuper illam eo quod non cognouiſſet tempus viſitationis ſuę, modo in glorioſo corpore veluti captiuus è paruo tabernaculo aperiri ſibi petit cordis humani ianuam: non vt mutando proficiat, ſed ne peregrinus homo ſine ipſo deficiat. Sacerdotes per annos plurimos quotidie ferè celebrantes, alios vero frequent ſsimè ad Sacram Synaxim accedentes, in eodem ſtatu permanere nec pręclarum aliquod modeſtiæ, ac pietatis ſpecimen populo Chriſtiano exhibere apud multos in cauſa eſt, vt frequenter manducantibus panem Angelicum nop applaudant, ac ſibi plurimum metuant. qui interrogandi ſunt, An ſoli digni ad Sacram Communionem admittendi ſint? ſic ſanè vix vnquam panem Angelorum manducabit homo ſuper terram? Sin vero etiam ij qui peccata ſua planxerunt, non indigni erunt hac menſa qui ſe indignos eſſe cum humilitate profitentur. Petrus Dominum rogat vt à ſe exeat: Centurio vt non

veniat

veniat: Zaccheus illum videre cupiebat. hic Dominum amans aſpexit, illi ſeipſos deſpexerunt: omnes Domino placuerunt: qui à piſcatore non exijt, militem exaudire non reſpuit, apud publicanum diuerſari non horruit. video in ipſa Eccleſiæ cæremonia, qua Venerabile Sacramentum à Sacerdotibus diſpenſatur, requiſitam à fidelibus diſpoſitionem exprimi: nam poſt verba quæ Sacerdos communicaturo in memoriam reuocat, immediatè Corpus Chriſti Domini porrigit, ac ſi inſinuaret, tūc fideles hoc Sacramento dignos fieri, cùm ob peccatorum præteritorum grauitatem (quam deteſtati coram Miniſtro, in præſentia Domini iterum execrantur) vilitatem ſuam agnoſcunt. Centurio verbo Chriſti puerum ſuum ſanari exoptabat: ego anxios, ac timidos in hac materia, verbo Dei confortari poſſe exiſtimo. Dixit Deus verbo ſuo: vt qui laborani, atque onerati ſunt ad eum veniant: quid expectant infirmi qui ſanari cupiunt, cum non valentibus, ſed malè habentibus medico opus ſit. fidelis ſermo: Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere. Credibile eſt Rectorem animarum

ſuo munere perfunctum eſſe ſi ignorantes verbo docuerit, omnes exemplo confirmauerit, & Sacramentorum pabulo refecerit, maximè dum peſtis graſſatur: vitæ corporalis ſubiens periculum, ne ſubditis ſu s deſit ſalutis æternæ remedium. Vidit Podagricus quidam tranſeuntem Parochum venerabile Sacramentum ad infirmum epidimiæ lue infectum deferre, & exclamare cępit, quam beati pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona. erat is ex numero Canonicorum qui Diuina officia per Sacerdotes muſices peritos peragunt, ac pretioſa pelle hyberno tempore lino hollandico, æſtiuo induti, è ſublimi parte Chori, veluti è ſpecula ceremonijs officij inuigilant vt ritè ſecundum Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem dirigantur. humanitatis ergo poſt miniſtratum infirmo Sacramentum, Parochus Canonicum illum ſub dio ſedentem (vt vim doloris varietate obiectorum tranſeuntium, vel minueret, vel leniret) de longe ſalutatum ſic affatus eſt. Cur Domine mi benedictionem alijs impertiris, quam cupis ad pedes vſque deſcendere: ipſe verò particeps benedictionis eſſe non vis, qui veluti im-

immobilis in vno loco perſeueras, tibimetipſi grauis, ac domeſticis tuis moleſtus? dices te legitimè impediri per dolores, quos ne quidem inimicis, ſi vltio liceret, imprecareris. illud quidem commiſeratione dignum eſt; ſed ſi cauſam morbi quis inueſtigaret heu! quod ad me attinet, crediderim dolorem veſtrum quaſi cum hæreditate ad te deriuaſſe, quia ex patre podagrico profectus eris, & forſitan talem radicem fixit in te vt ambulantes potius ſis obſeruaturus, quàm comitem te eis præbiturus. Sunt qui moleſtè ferunt illos qui minimum Eccleſiæ præſtant obſequium, amplioribus prouentibus ditari. Ego illis non inuideo hanc felicitatem, neque præſumo merita vniuſcuiuſque examinare, quod Superiorum curæ relinquendum eſt, vnum eſt quod à cordatis viris deploratur, curam animarum quæ dignitatem Epiſcopalem annexam non habet, à nobilitate reſpui veluti parum conuenientem familiæ illuſtri; per quod ergo different Clerici nobiles à laicis? planè per venationes, piſcationes, alearum ludos, conuiuia, potationes, veſtimentorum faſtum non diſcernuntur. Sic ille ex zelo

quodam ſatis liberè loquutus ad ſuũ ſubditum animam agentem redijt. de quo diſputari poſſet, An quod iuſtitia fortè non exigit, charitas Chriſti non efflagitet. ſi videris pauperem in graui neceſſitate conſtitutum tua opera indigere nonne teneris ipſi de tuis facultatibus maximè de ſuperfluis ſuccurrere? quis non videt aduerſarium noſtrum in grauiter decumbentes, & maximè in animam agentes tela ſua ignita crudeliſſimè vibrare? Cui ſe opponere poteſt benignus animarum Rector, reprimens aggreſſoris inſidias, & quidem tanta facilitate, vt verbis ſolùm opus ſit, quæ domi detentus fortè in negotijs parui momenti otioſa proferret. quod diligenter obſeruandum eſt ab eo qui zelo animarum flagrat: ne (vbi Religioſorum infirmis miniſtrantiũ auxilium Parochiæ deeſt) ipſe, tantæ ſubditorum neceſſitati opportunè non proſpiciat, ac meritò ſibi exprobrari in Dei iudicio metuat, magis intentum fuiſſe diabolum hominum perditioni, quám ſaluti animarum Sacerdotem. Agentia naturalia ita ſuas actiones diffundunt: vt præſtantiorem effectum in propinquioribus ſibi ſubiectis producant. in morali-

bus

bus ſic res ſe habet: lex quæ æqualiter à capite ad membra deſcendit varios effectus in ſubditis producit, ſiue id naſcatur ex fidelium apta diſpoſitione, ſiue ex paſtorum vigilantia. hic velim Romanum virum interroges: qui videns omnes ferè nationes ad luſtrandam Italiam magno ſumptu, atque incommodo Alpes tranſire, ſeu maria transfretare: curioſitate ductus obſeruare voluit per longa itinera, quid exteri ab Italis, ac maxime Romanis didicerint? & an aliquid ſingulare habeant quod vbique locorum reperiri optabile foret, obſeruauerit in illa Belgij parte (quæ in temporalibus Carolo Regi paret) Rectores animarum tam in Ciuitatibus, quam ruri ſingulis diebus Dominicis ad populum habere ſermonem per horæ fere ſpatium: nunquã à limitibus ſuę Parochiæ diſcedere, niſi Sacerdotem ſubſtituant qui poſſit eorum vices ſupplere; ęgros qui Sacram Euchariſtiam pro viatico ſuſceperunt, in dies inuiſunt, pueros fidei Catholicæ rudimentis, poſt meridiem diei Dominicæ imbuunt. Sacramenta petentibus ſubditis tam die, quam nocte præſto ſunt. vbi opus eſt vitam periculo exponunt, niſi

de mandato Ordinarij deputetur vir, qui ſolos epidimiæ lue infectos viſitet, vt Parochus operam ſuam maiori ſubditorum parti adhuc integræ valetudinis impendere valeat. ruri inter duos ſolos Sacerdotes ſic diſpenſantur onera: vt primus curam animarum habeat, alter auxilium illi ferat. In feſtis hoc celebrante, diluculo famuli, atque ancillæ præcepto Eccleſiaſtico ſatisfaciunt: quos ad ſuas ædes non remittit, niſi præcipua fidei Catholicæ dogmata illis clara voce recitauerit. ad ſummum Sacrum Patresfamilias cum vxoribus, ac liberis confluunt, poſt cuius Euangelium à Parocho decantatum ipſemet è ſuggeſtu ſermonem ad populum inſtituit, attentis auribus in principio maximè auidè intento populo, quoniam loco thematis, totum Euangelium miſſæ in lingua vernacula legi in Belgio moris eſt. Cantoribus præeſt alter Sacerdos, qui cantu Gregoriano pluſquam mediocriter inſtructi ſunt, & alteruter ex Sacerdotibus poſt meridiem Cathechiſmũ pueris explicat, inuitatis vnà parentibus veluti filiorum profectus teſtibus futuris, ſed reuera ruditatem aliquam ruſticanam per toties repe-

tita

tita verba depoſituris. reperti ſunt hæſitantes in reſponſo pueros corrigere voliſſe; ſed erronea inſuflando inſcitiam ſuam prodidiſſe. hic prudentia Sacerdotis ſollicitè curat, vt pueri præmio allecti hilares myſteria fidei addiſcant, parentes ſine rubore, ac dedecore malè intellecta didiſcant, ſiue obliuioni tradita in memoriam reuocent. Atque hæc pulcherrima Eccleſiaſticæ politiæ harmonia, à tubarum, ac tympanorum ſtrepitu, ſubinde alteratur, ad priſtinum ſuum ſtatum vigilantia Paſtorum reuocanda. Non eſt mihi animus reliquarum nationum Parochos obſtringere, vt à Belgis addiſcant officium ſuum rite peragere; ſed magnoperè eos hortor: vt eos qui ad Romanam diſciplinam proxime accedunt (quod non locorum interinteruallo metiri æquum eſt, ſed legum ſanctiſſimarum obſeruantia) imitari ſtudeant. quamplurimi Artifices exigua mercede conducti arcam illam fabricauerunt, in qua paucæ animæ à diluuijs aquarum ſaluæ factæ ſunt, ipſi vero propter incredulitatem ſuam ſuffocati. Vtinam qui ad Eccleſiæ ędificationem in verbo, ac Sacramentorum admi-

niſtratione laborant, tenuis cuiuſdam beneficij fructibus gaudentes, dum alijs pręicant ipſi reprobi non efficiantur, ob ſalutis propriæ incuriam excludendi à termino viæ quem peregrinantibus tam clarè demonſtrauere.

De Officio Epiſcopi.

CAPVT IX.

Vocationis Diuinæ ſignum publicum nemo à Deo poſtulet, vt ad Epiſcopatus dignitatem ſe eligi credat. ſi Ambroſio id datum fuit adhuc Catechumeno, & Nicolaus in Templi ianua deprahenſus eſt: notum eſt Domino opus ſuum; qui ſi aliquem etiam rudem, ad ſublimem gradum euexerit, vt de Piſcatoribus legimus (quos ad erudiendas vniuerſi Orbis Nationes deſtinauit) ſub tali Magiſtro extemplo ignorantia depellitur, infirmitas ſubleuatur. præteriere tempora illa, quibus fugiens honorem columnæ igneæ indicio detectus eſt. ij, quibus electionis, ſiue præſentationis cura incumbit, ſupponere in eligendo tenentur quod non poſſunt illi dare. quàm inſigne To-

Toletanæ Eccleſiæ Prælatum, Carolus Imperator Pontifici Romano proponere ſtatuiſſet, admiratus Orbis terrarum eſt, poſt obitum Hurtadi, qui ſub fideliſsimi Principis ſilentio tam profundam texerat humilitatem. apud tales Principes Pontificum indulta optimè collocata ſunt, qui ita de dignitatibus Eccleſiaſticis diſponunt, vt piæ illorum intentioni obſecundare ſtudeant. qui Epiſcopatus gradum à maioribus poſtulat, ſuſpectus eſſe incipit quod honorem ac reuerentiam ambiat, temporalium bonorum ſufficientiam deſideret; ſi enim inſignis viri opus in vinea Domini aggredi paratus ſit, illud ſub directione Prẹlati tutius perficitur, vbi à Superiore diffiſus, nimium fortè ſuis viribus tribuens, citò delinquere ſolet, ſerò ſe corrigere. Placet ſummopere ſalutiferum illud Sancti Saleſij conſilium: vt nimirum vnuſquiſque ſua ſorte contentus nihil ſimile petere ſtatuat, nil recuſare, quo humilitatis, atque obedientiæ merita ita temperabit, vt neglectus abiectionem ſuam non doleat, euectus de authoritate nō præſumat. optabile foret, vt ad Epiſcopatum nemo ſibi aliam viam ſtrueret præter illam, per quam homo Dei pere-

grinationis ſuæ memor per varia virtutum exercitia alacer incedit. præcipuum illorum penes quos eligendi, ſeu præſentandi authoritas ſita eſt, motiuum eſſe decet: vt in confirmandis à Pontifice Romano ad hoc munus virtutem præſupponant, cum ſcientia, ac prudentia coniunctam: nimirum illos proponant, quos cognoſcunt Eccleſię Dei profuturos, non vero illos quos plus amant, quorũ obſequijs deliniti, vel dediti ſunt, vel pro quibus maiorum quiſpiam rogauerit. illam ego Eccleſiam felicem exiſtimo, quæ talem paſtorem nacta eſt, pro quo inſcio tractatus, fundatum in virtutum ſuarum meritis ſcientiæ profunditate, rerum experientia, ac præclarè Eccleſię nauata opera, libellum fama conſcripſit, quo motus Princeps, ignotum accerſeret, probatum promoueret. A priuatæ conditionis homine, ſi magnifica quædam opera fieri videmus, recte arguimus hunc ſi authoritate polleret, opibus abundaret, fore inter magnos viros conſpicuum. Scribenti mihi de eo, quod ad maiores pertinet, illud accidere videtur, quod famulis illis qui Dominos ſuos expergefacere iubentur:

ſed

ſed cum negotiorum grauitas magis Dominos vrgeat, illi laudant quidem ſeruorum ſollicitudinem, quod diluculò eos vocauerint, ſomno verò à ſeriæ rei cura depulſo, ſeruitutis fidelis deſiderium præuenerunt. nec mirum quod cogitationes ſuas omnes, ad ſalutem Gregis ſui Paſtores vigilantes referant, quibus notum eſt ſubordinatos ſibi Rectores poſſe inconſultis illis ad Religionem confugere, ſe verò prouinciam ſibi demandatam relinquere non poſſe, ſine Romani Pontificis conſenſu; atque in illo caſu quo Rectores inferiores ſtrictiorem viuendi regulam in Religione amplecterentur, vel largiorem in Collegio Canonicorũ, tenerentur Epiſcopi in perſona, onera innumerabilia fermè ſubire, quæ modò ijs licet inferiorum diligentiæ committere. Valerij Cæſaraugustani Epiſcopi, Diuus Vincentius, partes, prædicandi Euangelij ſuſcepit, quod Epiſcopus propter linguæ impedimentum prædicationis officio fungi non poterat: Neſcio an omnes Domini mei, tam legitimè à prædicando Euangelio impediti ſint, an tales viros, impediti, ſubſtituant. ad pugnam ſe vocari nouit quicunque

in hac valle lachrymarum, peregrinus exulat. Miles à Centurione certior redditur ſi cum hoſte dimicandum eſt, mirificè tamen ſupremi ducis concione confortatur. In ſeptuaginta duobus Diſcipulis, forma presbyterorum eſt, in Apoſtolis forma Epiſcoporum. clamet Sacerdos, ſed Epiſcopus quaſi tuba exaltet vocem ſuam. forſitan à ſomno ſurrecturi ſunt, quos Dæmonis induſtria incurioſos primum, deinde facinoroſos efficere decreuerat. Etſi per cordatos aliquot viros, quibus animarum ſalus cordi eſt, Paſtor informari de ſtatu Gregis ſui valeat: ſalubriter tamen inſtitutum eſt, vt terras ſibi ſubiectas perſonaliter ſubinde viſitet, duobus malis remedium allaturus, nimirum ſi quis ex malignitate falſum aliquod crimen proximo ſuo impoſuiſſet, vel perfricta fronte ille qui peccauit verum aliquod negauiſſet. vbi opus erit illi qui peccauit, mulctam aliquam imponere: ſi ilia pecuniaria eſt, optandum vt pauperibus diſpenſetur, & videbit populus paſtorem ſuum vnum leuiter percutere, alterum ſanare, ſeipſum autem non velle ditare. non patiatur hoſpitio exceptus à Sacerdotibus,

per

per mantilia, & mappas nitidius ſibi menſam parari, quam viderit Dei altaria exornari. neque admittat excuſantes ſe quod rarò Paſtori ſuo ſimile obſequium deferant, ac ſi familiariter cum Deo illis agere liceret. vt cum fęmina mas pacificè degeret, naturæ author ita naturas hominum temperauit. mulierem vir corporis robore ſuperat, ſuperat ingenio. hinc eſt quod infirma à potentiori auxiliũ petere cogatur, conſilium à ſapientiori: vbi plures in vna domo fœminæ ſunt, niſi ſubordinatæ fuerint, rarò pacificas inuenies. æmula Annæ Phenenna, ſterilitatem illi exprobrare auſa eſt: tam petulans etiam ſub viri poteſtate eſt muliebre ingenium. modò excluſæ ſunt à viri toro concubinæ & victix vxor de ancilla (quam neceſſitas ſub iugo obedientiæ tenet) virum ſuum contemnere ſæpenumero præſumit: qui ſexus fœminei fragilitatem diſſimulat, ne grauius ſub ira viri cadat. altercantibus ob cauſas aliquas coniugibus (quas modeſtia ſilentio præterire dictat) hæret bonus paſtor vndique implicatus, cum ſpes non affulgeat coniungendi denuo animos, periculum ambobus immineat, ſi locorum
inter-

interuallo, ſeparentur corpora. & forte non minorem difficultatem experitur in dilucidandis virginum dubijs, atque enodandis perplexitatibus, quæ ob clauſtri limites, atque extraneæ mandata aliquo angore afficiuntur, aſſuetæ parentibus obedire, & feſtiuis ſaltem diebus curru vectæ cæli clementia frui. & licet friuolæ viris videantur illarum negotia, patienter audiendæ ſunt ne, ſi non ſe intelligi crediderint, eadem multoties repetentes prolixis verborum formulis multiplicatum Paſtori faſtidium pariant. ad præcipua quædam puncta vitæ illarum rationes à prudenti moderatore ſuauiter reducendæ ſunt: nimirum vt meminerint ſe in ædibus parentum commorantes cum viris ſermonem nullum habuiſſe, neque voluiſſe habere, exeuntes vero è domo ad ſummum, viſas, ac ſalutatas demiſiſſe ex modeſtia palpebras, ex humanitate caput, & nobilior bus curuaſſe genua. ſi tantum potuit in ijs tunc familiæ honor, quid modo non valeat Sponſi cæleſtis amor? Diuinæ prouidentię ordo poſtulat; vt omnis homo Superiori pareat. Virgo paternam domum non deſeruit vt non obediat, ſed ne obe-

diat viro. matri carnali ſucceſſit cœnobij mater. vtraque filiæ ſuæ bene eſſe exoptat: hæc, vt in æternum benè, apud rudiores hæc quæſtio ventilata eſt: An illi obedire teneantur quæ votis illarum electa mater non eſt, quaſi maior pars ſuffragantium non prævaleret, quæ vt plurimum eſt ſenior. Sic eludi poſſet quælibet authoritas, ſi nulla digna voto iudicaretur, quod fortè ideo eſſet, quia feſtucam in alieno oculo videmus, trabem ex proprio non eijcimus: quandoquidem peregrinantem ſuper terram neminè inueniamus qui in aliquo non deficiat: ad prudentiam pertinebit (cum omninò al qua ad regimen aſſumenda ſit) illam cæteris præferre, in qua hoc bonum elucet, quod minus mali. timido ſexui tetrum quoddam monſtrum obijciendum eſt: vt reſultantem ex oppoſitis deformitatem, in moribus conſideret. & licet hominis effigiem Satyrus exhibeat, Sirenæ mulieris: in beſtiam terræ ille terminans, hæc in piſcem maris, indigni ſunt qui cũ hominibus annumerentur. Seruire Deo in domo opulenta, nihil mali eſt illi, qui temporalia a ſe abdicauit: parentes habere foris, qui opibus abundant:

dant:quid vetat! habere autem cor auri cupiditete ardēns,quod intuetur Deus,plenā ſupellectile arcam,quam Superior nō videt,portentoſæ figuræ membra ſunt quā vulgus diuitem ap° pellat, quia munera abea recipit, homo Dei pauperem,quia virtute caret; ſi ergo quis voluit paupertatē ſectari, curmodò tenet quod non licet cōcupiſcere?cur concupiſcit quod nō licet poſſidere? vbi aduertendum pręfectas nōniſi ad licitos vſus in pecuniarū expenſis cum ſubditis validè diſpenſare. ſi quis puellæ in domo paterna commoranti,veſtimentorum faſtum exprobraſſet, illa ſe iuxta patriæ conſuetudinem, & conditionis qualitatem indui pro excuſatione attuliſſet, idem illi obijciendum eſt ſi in cultu corporis, à religioſi habitus modeſtia decederet. puritas cordis, ac virtutum praxis ornamenta ſunt, ob quæ Sponſus cæleſtis, Virgines concupiſcit, quæ aliter comptæ ſunt, cauſam ſuſpicandi texuerunt, ſe humanis oculis velle placere. Dominus Diſcipulis ſuis vniuerſum mundum peragraturis, hanc regulam dedit, vt comederent quod illis apponeretur; quam vitæ Religioſorum maximè accommodatam video; & quidem

ad

ad illos ſpectat alijs apponere, qui ſub vno Deo, in vna menſa congregatos ſibi ſubditos alunt. quod clanculum paratur, & guſtui arridet, ob aromatum condimenta, ſeu varios intinctus, non apponunt, quia recipienti Communitati exiguum eſſet, danti vero oneroſum munus. Leuior hic cibus ad valetudinarium mittitur: in quo eadem debilium infirmitati ſuccurrit, quæ robuſtiorum neceſſitati prouidet charitas. adhuc diligentius verba Domini pōderemus. apponuntur illa quæ fraudulentus mercator fortè peſsima vendidit, simplex emptor mercatus eſt, Coquus diſtractus inſulſa, vel nimium ſalſa reddidit, diſpenſator inæqualiter diuiſit. & ſi obſonio mali ſucci vinum acidum, vel fæculentum accedat, panis durus, vel calidus: Diſcipulis Domini optimè quadrat ſic nutriri, qui ad cæleſtem patriam vocati ſub ſpe copioſæ meſsis animarum peregrinantes, viliſsimum reputare debebant, ijs quæ cum beſtijs communia habet homo, ſollicita cogitatione immorari. incredibile eſt Apoſtolos virtute miraculorum illuſtres, in tam longinqua peregrinatione toties hoſpitio exceptos, nullum

lum hoſpitem reperiſſe qui opportunum aliquod, curandis corporibus remedium non attulerit, vel ſolatiũ. adhuc tamen præcepti Domini vtilitas cognoſcitur: nam pernicem, offerens ei qui caput lacteum appetit, vinum bonæ notæ, qui ſiccerę ſiti premitur: pone aliquid apponi ex ijs quæ nulla natio reſpuit, negandum non eſt, quod propria voluntas alteri ſubditur, cuius abnegatio tanti apud Deum meriti eſt, vt qui lauto conuiuio excipitur, & voluntati alienæ propter Deum obtẽpeſat, maiori laude dignum opus perficiat, quam ſi ex propria electione vulgari cibo contentus, ieiunaret. Si coram patre ſuo dolentes filiæ deponant, ſe ad matutinas horas non ſurgere, vel ſomno graui oppreſſas abſque vllo deuotionis ſenſu, laudes diuinas decantare, atque in rebus diuinis meditandis, mentis euagationes pati: interrogandæ ſunt, num lautè curato corpori quietem dederint, dum vigilandum fuit? An rerum nouarum cupidæ, cum temporis iactura ſæculares auſcultauerint, veſtimentorum faſtum approbauerint? Si culpam, fatentur, ſecurim ad radices applicari iubeat: nullius rei de his ſibi con-
ſcijs

ſcijs hoc ſolatium afferat non eſſe formidabilem illam pugnam, in qua humani generis hoſtis, non mutuatis ab hominibus armis dimicat. atq; his apud mulieres ſtabilitis exhortādæ ſunt ad orationis aſsiduitatem, ac Sacramentorum frequentationem, & Paſtor quidem qui ſuos viſitauit. ad ſeipſum redire opus habet, vt populum vitæ probæ exemplo ad ſui reuerentiam alliciat, in quo Chriſtus Dominus honoratur, à Dominis temporalibus in re rationabili non diſſentire proponat, importunè verò petentium aliqua vel negantium minas non formidare. S. Apoſtolus Diuo Petro in faciem reſtitit, quia reprehenſibilis erat in hoc, quod cogeret gentes iudaizare. vtitur ſcriptura verbo, cogere, vt facti Principis ad mouendos ſubditos vim demonſtraret. ad duo luminaria quæ fecit Deus in Cælo, vix homo reſpicit; nam ab intuitu Solis damnum patitur, ab intuitu Lunæ exiguum, aut nullum emolumentum recipit. ad Paſtorem vero animarum quocūque tempore ſubditi reſpiciunt, glorificantes Deum ſi digne ambulauerit. illa maculę quas partium aliquarum denſitas in Luna cauſauit, hu-

manos

manos oculos non offendunt, nec aſpectantes gradum ſiſtere ob rei nouitatem faciunt; maior eſt Eclypſis Lunaris indagatio, maior admiratio. Sic contingit in actis Epiſcoporum, in quibus diſsimulantur quædam, quibus humana fragilitas ſubiecta eſt; vbi verò rerum terrenarum amor inordinatus, angelici officij claritati tenebras obduxit: ſterilitatem terræ timere incipiunt homines Dei, deplorantes obſcuritatem Cæli. ſicuti à Sole omnia Sidera lumen accipiunt, ſic à Chriſto Domino Epiſcopi influxum gratiarm, ac vitæ paſtoralis normam. bonus Paſtor pro ouibus ſuis animam ſuam dedit. quãdoquidem Tyrannus non adeſt modò, qui animam exigat, adeſt pauper qui ſubſtantiam poſtulet. ad vtrumq; paratum Paſtorem ſuum vidit Mediolanum. inſpectabat lynceis oculis ſolers Italia, an in Carolo (cuius nomen omnium ſermonibus extollebatur) aſſiduè meditante Solem Iuſtitiæ, interpoſita terrenarum rerum cupiditate, Eclypſis naſceretur. nam licèt vita hominis ſuperioris ordinis ſit, quam honor, ac bona illa, quæ bona fortunæ vocant; cùm tamen videamus ob mundi gloriam

viros

viros nobiles, & plebeos etiam propter pecuniam illam varijs periculis obijcere; quando Vritano Principatu vendito pretium vniuerſum ad quadraginta aureorum millia vna die in pauperes bonus Paſtor erogauit, nec minori pietate viginti millia, quę ſibi fuerant legata diſtribuit: tunc demum ij qui ante obitum neminem beatum pronunciare conſueuerunt, diſcuſſa timoris ac dubitationis caligine, tanti viri ſanctitatem venerati ſunt. & ſi noluit Deus ſeruum ſuum liberè peſtlentia laborantibus Sacramenta adminiſtrantem, contagione infici, neque inexpectato ſeditioſorum igneo globulo percuſſum interire: non eſt quod mortem recuſaret homo Dei proditionis neſcius, qui paratus erat vitam ſuam dare peſtilentiæ conſcius. quod prætores, & Satrapæ, qui apud Principes ſuos æmulorum calumnias timent, cùm Epiſcopis locorum, de iuriſdictione contendant, ideo ſæpè contingit, quia quod illi propter reuerentiam Sacerdotij libentiſſimè ſuo Prælato concederent: dicent inuidi ex ignauia procedere, eo quod non audeant viriliter Dominorum ſuorum iura tueri. Principes detrimenta terræ

non

non ſibi metuunt ab ijs, quorum conuerſatio eſt in Cælis. modò ſuper ſolidæ virtutis fundamento conſtructa fama vigilantiſſimi Paſtoris probitatem ad Principẽ detulerit, maiorem in verbis Sacerdotis ſecuritatem collocabit, quàm in Prætoris ſui animoſitate, exercitus robore, munitionum impenetrabilitate.adhuc duo ſunt, quorum alterum à Paſtore ſuo populus ex conuenientia poſtulat, alterum Clerici, ac Sacerdotes ex iuſtitia ſibi deberi exiſtimant. Rogat eum ſubmiſſo animo populus ne longius ab eo diſcedat, niſi fortè obedientiã Summo Pontifici præſtiturus, qui non ęgrè ferre ſolet Paſtores ad gregem ſuum properare, quod & rationibus proprijs conducet cũ videamus aliquãdo extra ſuam Diœceſim, Epiſcopum vix à plebeis ſalutari, à nobilibus vero cum dexteritate negligi; non quia deſpicitur Epiſcopalis dignitas, ſed fortè quia in præſentia Solis ſplendor Stellarum puſillus eſt. occulta quædam naturæ vis in hominibus ſympathiam fundauit: ex qua fit vt cum ignotis vnico congreſſu amicitiam ineamus, cum alijs vero (etſi meritiſſimi fuerint) præcisè tantùm conuerſari nos dele-

delectet, quantùm ciuilitatis leges præſcribunt. ex reuerentia perſonæ id aliquando contingere negandum non eſt. hinc eſt quod rarò Principem conueniamus, & paucis verbis expreſſo negotio aliquo, ad ſigna ſubiectionis conuertimur, relicto propè ſolium ſupplici libello: vt ſi negandum aliquid eſt (quod non ſine mœrore facit Princeps Oratore præſente) per idoneos miniſtros mitius ad nos illud vacuum, nihil, deſcendat. ab ijs hæc poſtulatio facta eſt qui negotijs variis implicati neceſſariò ad Epiſcopi Tribunal recurcurrere coguntur; nam ſi vtilius eum occupatum inueniunt, ſiue ob ſympathiæ defectum nimiam in dilucidando negotio breuitatem præuidet, vel ob perſonæ reuerentiam, timidum in dicendo animum metuant: apud deputandum ab Epiſcopo Vicarium (quem benignum, atque affabilem eligi ſummoperè deſiderant) facilius ac liberius negotium ſuum ſe peracturos exiſtimant; in diſpenſandis officijs, ac beneficijs (quæ gratiarum nomine aliquando veniunt) difficilius eſt æquitatem ſeruare, quàm à communi viuendi conſuetudine diſcedere: quæ ſi idoneos in-
uene-

uenerit conſanguineos, amicos, & commendatos à magnatibus: difficile erit Prælato, ignotos, etſi magis idonei fuerint, talibus præferre. ſi ad Parochias, atque officia, quæ curam animarum annexam habent viri præcipui ad hoc munus idonei eligantur, quis non videt Epiſcoporum onera notabiliter alleuiari. ſi verò præbenda aliqua in Cathedralibus, ſiue alijs Collegiatis ad Ordinarij diſpoſitionem vacauerit: quam iuſtum erit vt qui à multis annis propter doctrinam cæteris dignior ad labores aſſumptus eſt, accedẽte merito inueniat qui ætati ſenectæ quietẽ aliquã afferat, ac tribuat honorẽ. quando honoris gradus, ſiue officium, quod temporalem commoditatem annexam habet (quæ ad ſummum ab hohominibus expectamus) neceſſariò variarum rerum ſcientiam, atque experientiam requirunt: non licet in aliquo genere ſolùm verſatum ad illud officium promouere, in quo prodeſſe reipublicæ nequeat. Si vero inter plures cõcurrentes in vno ſimplicem capacitatem inuenias: alter capacitati meritum ſuperaddat, æquum eſt vt dupliciter dignum cæteris præferas. mirabile quod de

Ec-

Eccleſia optimè meriti, à beneficio pinguiori ſubinde excluſi ſunt, quod parum ijs tribui videretur qui alicui Eccleſiæ præfici mererentur, qui tamen à commoditate beneficij ſpecie honoris excluſi, Eccleſiaſticam dignitatem nunquam conſecuti ſunt. ſi vniuerſali Sacerdotũ merito (quod ex Sacramentorum adminiſtratione, Euangelij prædicatione, ac bonarum artium eruditione acquiritur) teneretur Princeps ex iuſtitia, gradum Epiſcopalem deferre, neceſſe eſſet pluribus capitibus infulas imponere, quam turribus templa exornari conſpicimus. fortè non abs re erit huic materiæ pauliſper immorari, cuius ignorantia pleriſque cauſam dedit vt temerè Principum regimen carperent, ac ſuperbè elati, tandem delirantes, ob fictam à ſe dignitatem omnibus ludibrio fierent. ex vitæ probitate, ac rei illius peritia quam munus aliquod exigit, talentum confici videtur, quod abſcondere illi dicuntur qui ad opus in vinea Domini vocati, labores fugiunt. Si aſſumptus ad opus, è duobus primùm ſuſtuleris, tibi non proderis: ſi ſecundum non habueris, Reipublicæ oberis. Sola probitas homini Dei vtilis eſt

etſi Eremum incoluerit. Sola ſcientia prodeſſe quidem poteſt alijs qui docentur, vel reguntur; ſuffragari verò nequaquam poſsidenti, niſi fecerit quod docuerit. Vtraq; pars in opere, infallibilis præmii apud Deũ meritum facit; non ſemper apud homines. nam in plurimorum meritis comparandis occupati, vel hærent in æquilibrio, vel partibus ſtateræ ab inuidorum malignitate alteratis, apertè negare incipiunt quod ob nimiam ſpei dilationem abſque effectu ſecuturo, expectantibus duriſſimum foret. quapropter ſapientiſsimè vitam ſuam inſtituunt qui talenta, quæ à Deo acceperunt ſollicitè ad eius honorem, ac proximorum vtilitatem impendũt, ſed boni operis mercedem à Deo remuneratore expectant, qui ſicuti temporalia quædam bona ſeruis ſuis dare ſolet vt meliora prænuncient, ſic ſubtrahere nocitura, vel ad probationem nunquam aliquando dare. qui promotiones Pontificias in Vrbe diligenter obſeruat, contra ſuperbiæ, atque ambitionis venenum ſalutifero pharmaco ſe præmunit: quod Peregrino Romipetæ ſcitu delectabile fore exiſtimo. Pontifex Romanus totum Orbem
ſibi

ſibi ſubiectum habet ſi ſpiritualem animarum regimen conſideres. in temporalibus vero ditionem non ſpernendam poſſidet immediatè Romanæ Eccleſiæ ſubiectam, vt prætercam illas terras, Prouincias, & Regna, quæ Principes aliqui feudo perſoluto quotannis ad Eccleſiam pertinere ipſo facto fatentur. vnde pro vtroque regimine plurimi miniſtri requiruntur: qui in vrbe, ditionis Eccleſiaſticæ Ciuitatibus, atque Oppidis, & in aliis Prouincijs Principis perſonam repræſentent. & quidem nobilitatis Italiæ iuuentutem (quæ à Primogenito quotam aliquam patrimonii annuè accipit, Romam aduolare mos inualuit; ex quibus in varia Collegia diſtributis deſumuntur Iudices, Gubernatores locorum, Superintendentes litteris Apoſtolicis, atque annonæ, Aſſiſtentes Sanctiſsimo ad Altare, Secretarij Sacrarum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Congregationum, Nuncij ad Principes, & Congregationum dictarum, Conſultores, atque hi omnes titulo Prælatorum honeſtantur, Pōtificis maieſtati, ob nobilitatem, honorifica cohors, Curiæ Romanæ ornamentū, ob legum ac rerum politicarum pe-

ritiam populo Vrbis ob domeſticas expenſas auxilium opportunum. quã laborioſum hi omnes opus conficiant, notum ijs eſt, qui in priuato aliquo negotio multum deſudarunt, à quo ad probandam publicorum difficultatem efficax deſumitur argumentum. Sanitatem illorum (qui ad Principes deſtinantur) patrij Cæli mutatio offendit: longi itineris ſumptus, ac familiæ ſplendor facultates exhauriunt: quietem, negotiorum politicorum perplexitas, ac miniſtrorum Principibus aſsiſtentium ſubtilitas perturbant. per hos ferè gradus ad ſummos honores in Curia Romana aſcenditur: nobilitas abundans opibus cùm legum peritia dignum aliquem faciunt, vt veluti in ſtatu merendi conſtituatur, variorum officiorum labores ad maiora euehunt, probata in arduis negotijs ſolertia conſpicuum reddunt: ob res publice, & præclarè geſtas nomen eius fama diuulgat, quod non mediocre ad conferendos honoris gradus motiuum eſt; nam à communi fama, veluti à Dei voce monitus Princeps, ſimiles promouere conſueuit. facile nunc erit querelas aliquorum confutare, qui ab honore,

onera

onera ſeparantes, meritorum proportionem cum præmio non conſiderant. ponamus ante omnium oculos vnicam dignitatem, quam plurimi appetere, pauciſſimi reſpuere ſolent; ſane illa non ad otia, ſed ad grauiora negotia ordinatur, ad quæ nemo idoneus eſt, niſi apprimè iuriſperitus, experientia variarum rerum, ac maxime politicarum edoctus ſit vt cum authoritate ſedens cū Principibus definiat, quod cum humilitate aliquando approbauit. Viſi ſunt nonnulli purpura decorari quando ad labores ſubeundos, ætas ſenecta impotentes eos fecerat, vt potius mox morituro honorem delatum diceres, quam inter viuos dignitatis officio perfuncturo. An ideo ſimilia permittit Deus, vt virtuti pręmium ab hominibus ſerò aut nunquam dari diſceremus, quo, ad infallibilis veritatis promiſſa ardentius ſubleuemur? Supremum Eccleſiæ Principem in veneranda ætate, eligi moris eſt: An quia exercendo tanto muneri vix quiſquam viribus par eſt, etſi per totam ferme vitam quotidie aliquid addidicerit, ac magnam Orbis chriſtiani partem peragrauerit? An quia ab omnibus, veluti Pater hono-

randus eſt, quo nomine ſenes appellare nulla natio abhorret? dicant nunc qui inter nouiſsimos ſe reputari dolent cui imputent, ſi gradus quoſdam in Eccleſia non aſcendant! culpabuntne Auos ſuos, quod præclarum aliquod facinus non ediderint propter quod inter nobiles adſcripti poſteris ſuis cum hæreditate generis claritudinem tranſmitterent. An vero parentes illuſtres, quod pecuniam auidè non corraſerint, vt filios ſuos ditarent, ſiue amplam a maioribus acceptam hæreditatem dilapidauerint? Pone non ſecundum hunc tenorem Curiæ Romanæ officia, ac dignitates diſpenſari, ſed melioribus qui in pietate Chriſtiana excellunt. Etſi in eremo Paulum Eremitam modò non inueniamus, neq; in Ciuitate Franciſcum Stigmatibus Domini ſignatum, Eccleſia, quæ non ſolùm à capite ſuo, ſed etiam à membris Sancta dicitur quibus in aliqua Orbis parte nunquam caruit, de internis non iudicat; externam vero bonitatem ſimilium hominum Dei, ob ſæculi malignitatem ſibi parum vtilem fuiſſe ingemiſcit. quantum enim refert in quæ tempora, vel optimi cuiuſque virtus incidat. nimirũ

hi

hi quia boni ſunt nihil mali de alijs ſuſpicari audent, vnica menſura contenti. ſi vero ſemel deceptos ſe eſſe experiuntur: nemini mortalium amplius fidere ſolent. laudabilius alii orationi intenti, veluti cum Moyſe, contra Amalec pugnanti Ioſue, victoriam impetrant; ſed excuſari vix poſſunt, ſi illud tempus orationi dederint, quod ob negotia grauiſſima conuocatæ Congregationi deſtinari oporteret. forſitan hoc in cauſa fuit, vt ſeptem mundi mirabilibus octauũ acceſſerit nimirum ſummæ dignitatis ſpontanea, vel ſaltem voluntaria abdicatio. ſunt quidem aliquæ compendiariæ ad primas dignitates viæ, ſed tam infrequentes, vt nonniſi magnorum Principum filij per illas tranſeant, ſeu ſupremi moderatoris propinqui. illi Eccleſiæ militanti ſplendorem aliquem afferunt quo vulgus exteriorum admiratiuum ad honorandas perſonas Eccleſiaſticas incenditur; hi ob neceſſariam in grauiſſimis negotijs Principis cum miniſtro ſuo confidentiam, digniſſimi ſunt, in quorum fide omnia abſque formidine collocet. Solent etiam Romani Pontifices Principibus gratificari, vt ad illorum inſtantiam in

Sacrum Cardinalium Collegium aliquem cooptent, ſiue etiam ex aliquo Regulariũ ordine (apud quos Theologia Scolaſtica ſedem ſuam fixiſſe videtur) inſignem aliquem Theologum ad purpuram exaltare : ſed quis non videt difficultatem , vt inter tot præclaros viros , quis dignior reperiatur Principis ſui gratia , vt inter doctiſſimos , eminens ſapientia ? ad Epiſcopatus honorem pauciſſimi vrbis incolæ collimant ; fortè ideo quia ſicuti in anguſto loco ventus parietes concutit , ſic ſine amplioribus prouentibus titulus ille animum hominis exagitat , vbi verò honori annexa temporalium bonorum ſufficientia eſt . nouerunt illi competitori cedere quando dignior eſt : cum illo non competere qui inter dignos Principi charior . Si Peregrinus non propoſuerit Hieruſalem in principio lætitiæ ſuæ, ab acerbiſsima ſollicitudine torquebitur dignitatis illius,quã ob numerum præfixum promouendorum, ad paucos pertinere neceſſe eſt . Sanctitas noñ vulgaris, doctrina profundiſsima , Principum conſanguinitas , ſiue amicitia theſauri immenſi, quibus miniſtri aliqui Eccleſiæ conſpicui indigent ad legationes obeun-

obeundas, & ſimilia officia, labor diuturnus, vel meritum ad eminentem hunc gradum faciunt, vel fortunam proſperam indicant. Dicet quis ſe pro Eccleſia Dei labores grauiſsimos ſuſcepiſſe, & pertuliſſe, eſto; ſed fortè incepit hora nona laborare cū alij ex laſsitudine iam ſudarent ante ſextam. De Cæſare hoc narrant Scriptores, quod maluiſſet in Oppidulo Princeps eſſe, quàm ſecundus in Vrbe Senator. mira animi elatio! non deſunt qui Romę nouiſsimi eſſe malunt, quàm in Oppidulo primi; dictum Cæſaris ab ambitione profectum eſſe creditur: incolarum vero Vrbis, à domicilij delectatione. Vnicam extare Romam in prouerbium abijt; quod facile alijs Ciuitatibus applicari poſſet, quæ pauciſsimæ ſub eodem nomine cenſentur. melius ſic, quod nullibi terrarum neque tutius, neque iucundius peregrino degere liceat. Lictorum, atque Exploratorum turba (quibus Vrbs ſcatet) terrori malignantibus ſunt, præſidiū ingenuis. habet pro amantibus conſortium hominum, magnam partem ædium contiguarum. includit ſolitudines Philoſophantibus adaptatas. ſiue corporis, ſiue animi delicias cō-

deres, vnam atque vnicam Romam affirmabis. eſculenta, & poculenta ſatis bono pretio in ea venalia ſunt: & quod rarum eſt abſque vlla perſonarum differentia. Veſtis talaris alicquin honorifica. promiſcuè permittitur, ſub qua, quędam minoris pretij indumenta tegi ſolent. Viſus picturas ac ſtatuas inſignium virorum, aulæa, fontes, hortos, vineas, proſpectus collium, ſibi vendicat. auditus, melodiam muſicorum, atq; omnis generis inſtrumenta: guſtus, atque odoratus, omnium ferè Prouinciarum totius mundi fructus. de tactu nihil dicendum, cùm peregrinum hominem Dei alloquar, cui proprium eſt in Domino delectari, quod cum peccati conſcientia fieri nequit. Venio ad delicias animi, quas Peregrinus noſter in Academijs, Bibliothecis, publicis diſputationibus in Gymnaſijs, ac priuatis virorum doctiſsimorum colloquijs, guſtare conſueuit. Addo deplorandos quidem, ſed ijs quorum intereſt, ſcitu neceſſarios belli Europæi euentus, pugnas, obſidiones, terrarum deuaſtationes, ſtatuum mutationes. in remotis nimirum regionibus rubeſcunt flumina, & maria humano

ſan-

ſanguine tincta: perſtrepunt tubæ, & tympana, ac maiori fragore, tormenta: quæ omnia, inter variarum nationum collegas, humaniſsimè diſputantes, repræſentat alba papyrus, à variis Curſoribus exhibita. præmiſi omnia iſta veluti comitatum Principis, qui vltimus quidem venit, cum ſit in intentione, æſtimatione, atque honore primus. præcipua vrbis ſunt, monita ſalutis quotidiana à Diuo Philippo inſtituta, exercitia Oratorij, præclarorum virorum apud omnes ordines doctiſsimæ conciones, feſta Sanctorum in aliquo ſaltem loco Vrbis, cum ſolemnitate celebrata; & quod vnicum eſt Chriſtianorum ſolatium, venerabile Sacramentum nocte dieque in aliquo Vrbis Templo expoſitum: ad quod vnanimes nationum omnium fideles proſtrati confugiunt peregrinationis ſuæ ducem, & ſemitam, vtinam & metam adorantes. Redeo ad Epiſcopos, quos à Sancto Ioanne Apoſtolo Angelos appellatos ob ſublimitatem officii, nouimus nihilominus infirmitate, circundari: vt condolere poſſint iis qui ignorant, & errant. non ſine cauſa Eccleſiæ cura, Diuo Petro cõmiſſa fuit, qui ter Dominum ſuum
 nega-

negauerat; nimirum vt miſereri diſceret ſubdito, ſi peccaret. bonum opus deſiderat qui Epiſcopatum deſiderat; ſed rogandus Deus, vt eadem animi ſinceritate, dignitatem hanc vltrò ſibi à maioribus oblatam accepter, ſicuti in primitiua Eccleſia fideles ad martyrium ducebantur. tali paſtore digna, pronuncianda beata gens eſt: nam paratum pro ouibus ſuis animam ponere, ſubſtantiam ſuam pro iis procul dubio erogabit.

De Officio Principis.

CAPVT X.

QVi Rempublicam felicem fore aſſeruit, quando Philoſophi eā regerent, ſeu quando philoſopharentur Reges, huic ego libenter adhæreo, ſi per Philoſophum ſapientiæ ſectatorem Intellexit, non vero illum, qui ſemper docere, nunquam diſcere decreuit: & ſicuti authoritate ſuperior eſt, ſic ingenio prævalere contendit. Princeps noſter ante omnia regiminis ſui effata hoc primum, & ſolidum principium præmittit à Diuinę legis præſcripto nunquam

quã recedendũ eſſe etſi valeret ditioni ſuæ vaſtiſsimas terras adijcere, vel cogeretur damna grauiſsima ſubire. verùm quia caſus particulares fermè innumerabiles ſunt, quibus applicari debet hæc pijſsima moderatoris intentio: ad prudentiam eius pertinet, ſapientiſsimorum virorum ſententias libenter audire, ne ſi alienum à proprio ſenſu res habuerit exitum, duplici doloris ictu concidat, nimirum quod nimium proprio iudicio attribuit, & quod ſapientum conſilia neglexit. Si teneretur Princeps ad rectè gubernandum, omnes Doctorum codices euoluere, & ſubditorum cauſas minùtim examinare, nemo ſtoliditatis, ſeu ignauiæ Diocletianum arguiſſet, quod abdicato imperio, ad colendum hortum ſe contuliſſet: in quo animi ſui tranquillitatem, facilius inueniret inter olera, quàm inter Imperij grauiſsima onera. Verùm per idoneos miniſtros multa conficiuntur, in quibus eligendis, ſicuti & in grauioribus Regni negotiis, ſenum ſententiam prudentia Principis exquirit, quorum conſilia firmiſsimis rationibus experientia confirmatis, niti ſolent. Placuit cuidam Principi ex di-

tionis

tionis ſuæ primoribus, ac ſapientioribus, præcipuos conuocare, atque eruditos de populo admittere (data ijs amplisſima liberè dicendi facultate, ne deeſſet qui ſuaderet, ſi ſuaſiſſe periculum foret) vt per politica quædam dogmata dilucidarent id, per quod Princeps homo Dei ab impio, Dominus à tyranno diſcernitur. totius regiminis forma, horum virorum iudicio paucis perſtricta eſt: vt nimirum cultum vni & ſoli Deo reddant omnes, Principi honorem tribuant populi, ac perſoluant tributum; ipſe vero vitam illorum, honorem, ac facultates tueatur domi contra captioſos homines, ac latrunculos, atque à ditione ſua externum hoſtem compeſcat. ſicuti in ijs quæ ad fidei dogmata cerenionias Eccleſiaſticas, perſonas Dei cultui dicatas, ac bona Eccleſiæ attributa pertinent, iudicio Summi Pontificis ſtandum omninò bonus Princeps decernit, ſic ad coercendos Eccleſiæ rebelles armorum ſuorum vires libenter impendit; vt (vbi ſine tritici damno id fieri poteſt) zizania omnia ex agro Dominico euellantur. meritò honorem à Principe expetendū eſſe cenſuerunt, non illum quem

fatel-

ſatellitum turba, minis à populo tranſeunte extorquet, ſed quem ea animi propenſione, veluti filij parentem honoraturi, ſubditi, illi deferunt. Generale illud dominium quod politici aſſentatores Principibus attribuerunt: nimirum quod Sacerdotibus animarum cura relicta ipſi de vita, ac facultatibus ſubditorum pro vtilitate ditionis ſuæ liberè diſponerent, ita limitatum eſt, vt ſi grauiſſimum Reipublicæ damnum timeretur, ſeu Patriæ exitium immineret, bono publico priuatum cedat, cum inferiorum diſpendio, ſuperioris bona conſeruentur. quod quotidie in naturali corpore obſeruare licet; nam pro ſola ſanitate recuperanda thesauros ſuos expendunt ægroti, pro conſeruanda vero vita membris ſibi amputari non recuſant. Ægyptios ſub Ioſephi regimine omnia ſua bona Regi ceſsiſſe pro frumento ſibi vendito Scriptura commemorat; fortaſsis, ſi iuſto aliquo titulo Ægyptum poſsidet, Turcarum Imperator, omnia ſua eſſe non iniuſtè diceret. Nos Tyrannum appellamus, quia vbique locorum ſimile dominiũ ſuper ſubditos ſuos ſibi arrogat, neque vitam eorum curare videtur, quàm mani-
feſto

feſto diſcrimini ſub inani futurorum bonorum ſpe facillimè exponit: ſępè ad probandam fidelitatem, atque obedientiam ſuorum (qui ad nutum eius ſpontè in præceps feruntur)dum ex iactantia, Principum Oratoribus obijcit, proijcit. ampliſsimas opes poſsidere apud Principem pro delicto reputari iniquũ eſſe omnes conſtanter aſſeuerauerunt, niſi probaretur iniuſtè acquiſitas fuiſſe. ſi verò munificentia ſua tacitè corda hominum ſollicitare videantur locupletes huiuſmodi, vt ditioni damnum aliquod afferre poſſe videantur: cùm non ſit tanti momenti timor hic, vt contra eos via iuris tanquam de crimine ſuſpectos agi expediat, nil vetat illos ad honorificam aliquam legationem deſtinari, in qua fidelitatem ſuam Principi probent, ac diuitiarum ſuarum magnam partem cum tanto honore commutent. idem ferè dictum fuit de iis, qui ob generis claritudinem, belligerandi peritiam, ac populi applauſum, aliquo modo ſuſpecti Principi eſſe cæperũt, quod priuatæ conditionis pertæſi ad maiora aſpirent: vt nimirum militiæ præficiantur, habentes in mandatis, vt ſine conſilio Tribunorum, nulla

certamina ineant, nil cum hoſte pacifcantur, forſitan in campo honeſtè morituri, qui vitam infelicem ducerent domi perfidi, vel periculoſam ſuſpecti. optima quæque ad Principem pertinere ſic intellexerunt: vt reuerentiam illi omnes exhibeant, omnes tributum pendant, quo factus diues optima ſibi comparare valeat; neminem tam inhumanum fore: vt ſi ſolus vnicum quid haberet, atque indiuiſibile, illud Principi ſuo non offerret in amoris, ac reuerentię ſignum, illo ſemper excepto quod nemini dare licet, nemini accipere. Dauidem virum Deo acceptum homicidii, atque adulterii pœnas graues luiſſe Principibus in exemplum propoſitum eſt: vt de vita atque honore ſubditorum contra iuſtitiæ dictamen aliquid ſtatuere non præſumant. ſi enim Deus Viro ſecundum cor ſuum inuento peccanti non pepercit, quanto minus illis, de quorum electione ad Principatum nullus Propheta teſtimonium perhibuit. Sicuti Medici in vipera aliquid boni conſiderant, quod facit ad ſanitatem, ita ſapientes hi in improbo Rege aliquid vtile inuenerunt ad munus Regium. Achab humanius fortè vi-

neam

neam ſibi vendi petiit, quam Nabot illam vendere recuſauit, & tamen maluit lachrymis lenire dolorem ſuum conceptum ex hoc, quod volens emere à ſubdito non potuit, quã minis eum terrere vt nolens venderet, niſi bonæ mentis indicio, truculenta mulier crudelitatem ſuam offudiſſet. Etſi non teneatur Princeps actionum ſuarum ſubditis rationem reddere, conducere tamen ei iudicatum eſt, ſi in exigendis extraordinarijs pro bono publico ſubſidijs manifeſtè appareat non quæ ſua ſunt illum quærere, ſed Reipublicæ vtilitatem. boni paſtoris eſſe tondere pecus, non deglubere (quod inter Tiberijdogmata politica numeratur) omnes probauerunt, ita tamen, vt crederent Cęſarem non tam pecoris miſeritum fuiſſe, vt ſine dolore viueret, quàm propriæ vtilitati conſultum voluiſſe, quæ ſuadebat beſtiam ſæpius tondere. non abſurda comparatio illa fuit pecoris cùm ſubdito qui omnia ſua bona ad Principis cõmodum, ac dignitatem confert, paratus ſine voce querula, proditione eius, vita atq; honore violentæ mortis pericula ſubire. Tumultus populi & rebellionis authores capite plectendos

ctendos eſſe, atque in cadauera eorũ ſæuiendum omnes affirmarunt ad terrorem aliorum. quando autem Abſalom ad quercum pendere viſus eſt, æquum eſſe dixerunt, cùm Ioab buccina canere, ac multitudini parcere. exceptus cum riſu fuit qui dixit Principem ſaltem populi clamores tolerare poſſe, ſicuti percuſſi canis ſtrepitum ſuſtinemus, quandoquidem ſatis grauia onera ei perſoluit. moderauere riſum Aſſeſſores quando Sapientis dictum allegatum eſt: qui nimium emungit elicit ſanguinem. non reijciendum omninò eſſe illud politicorum dogma, quod Principis ſecuritati expedire dixerunt antiqui (nimirum vt diuidat & imperet) ſed ſano modo intelligendum aſſeruerunt. quando à plebis diuiſione nihil aliud timetur præter proiectum in aquis natatorem, quem circumſtantes demergi non ſinunt, ſi neſciat enatare, ſiue defluentem è naribus ſanguinem quem compreſſa manus non pugio detraxit, Reſpublica tolerans plebis diſcordiam, nobilium ſecuritatem confirmat. verùm vbi ludi in tragœdiam verſi ſunt, æmulationes, indignationes factæ, mutuis odijs homicidia ſucceſſerunt,

non

non ſibi perſuadeant Principes, quod ſicuti ex animalium ſtrage corporis alimenta liberè deſumunt, ſic liceat illis humanas victimas abſque vrgentiori cauſa bono publico conſecrare. vbi penes vnum ſumma rerum ſtat, adhuc inter ſubditos ſuos contentiones nutrire non expedit; nam pars debilior nolens aduerſæ ſuccumbere, externi potentioris forſan implorabit auxilium, ſub quo mitius ſe tractandam ſperabit, vel æmulos ſuos in calamitate ſocios habituram. Si diſertus quidam Principis Orator, vicino potentiori perſuaſerit, vt pro familiæ regiæ conſeruatione, filio ſuo natu minori partem dominij ſui (à qua incurſiones potiſſimum timet viribus inferior) aſſignet ne Principis filia vxor eius eſſe recuſet, quia Patri ſuo obedire aſſueuit, nemini vero ſeruire. Ille potentiſſimum vicinum paulisper à Ditione Domini ſui elongans tam benè diuiſit: vt minori ſollicitudine impoſterum ei liceat imperare. cum hoſtibus infidelibus, & maximè ijs, qui præter arma nullum ius in nos habent, diuiſioni laxandæ habenę ſunt, modo talis in tractandis negotijs moderatio ſeruetur, vt tranſitoria

non

non ſtabiliamus cum diſpendio æternorum. optimum diuidendi modum eſſe concluſum eſt, ſi beneficia ſua apud omnes, Princeps collocet, officia idoneis perſonis conferat, honorum gradus digniſſimis, ac meritiſſimis diſpenſet, munera pauperibus potiſsimum largiatur: in tribus verò officijs conferendis neceſſariò Princeps id ſupponere debet in ſimplici Oratore, ſine quo nec petere officia licitum eſt, nec diſpenſare. nimirum ſi populo Sacerdos præficiendus eſt, ſi communitati medicus, ſi adminiſtrandi iuris alicui authoritas concedenda. dictum eſt, penes animam hominis, vitam, honorem, facultates, omnem ferè prouidentiæ humanæ diſpoſitionem verſari. vnde liquet quantum Rectorum intereſſe debeat; ne rudem Sacerdotem populo præficiant qui perdat animas: ne Medicum qui occidat corpora, ne Iudicem qui facultates, ac ſæpe vitam ipſam diripiat. apud Belgas, nemo ad mechanicæ artis magiſterium admittitur, niſi prius adhibitis arbitris confectum opus magiſtro dignum Artium Decurionibus exhibuerit. & quidem materiæ Artium, lapis, lignum, lana, ferrum, pellis animalium ſunt,

ſunt, quæ omnia nullum dolorem ſentiunt ſi à regula artis pauliſper defecerit artifex, atque exiguum damnum ea ſubminiſtrantibus afferunt, ab imperito facta inutilia. in curandis corporibus de vita hominis agitur, cuius præſtantiam etiam ex hoc cognoſcimus, quod ablatam nulla auri abundantia compenſet; vnde homicidæ pro vita coniugati præcisè nihil vxori ſoluunt, quam viduam accuſatricem ſuſtinent: Iuſtitia vero vitam propriam reddere coguntur, quia vitam abſtulerunt. optabile omnibus eſt illos in Iudices eligi qui in tractandis cauſis, ſiue in defendendo, ſiue in accuſando tam ſtudio, quàm fide inter omnes excelluerunt. apud quos etſi veluti in tuto loco conſtitutas res ſuas quilibet exiſtimet, cum tamen non aliter, quàm iuxta allegata, & probata ſententiam ferre debeant, quis non videt aliorum miniſtrorum, qui in forenſibus cauſis adhibentur, intelligentiam rerum, ac prudentiam requiri, vt nouerint, ac meminerint illa omnia in actis allegare, ob quæ, tecta ſilentio, Aduerſario cauſa adiudicaretur? Politicum Principis miniſterio deſtinatum, latere minimè

debet.

debet, quæ gubernandi ratio confe-
rat ad Domini ſui ditionem tuen-
dam, quibus legibus alii populi vtan-
tur, quid ferant ſuperiorum tempo-
rum caſus; qui enim de rebus ma-
ximis ſententiam dicturus eſt, hi-
ſtorias eorum, qui res geſtas lit-
teris prodiderunt diligenter euol-
uere debet, vt videat cuncta quæ
fiunt ſub Sole, & quæ remedia malis
huius vitæ à maioribus noſtris allata
ſint, quæ profuiſſe, quæ obfuiſſe ex-
perientia comprobauerit, quæ om-
nia ſapientiſsimi Senatores *Veneti*
per caſum (qui accidit) exprimere
ſolent. Sanè nihil inueniet, quod
nouum, ſiue recens ſit, cum in ſæ-
culis quæ fuerunt ante nos, omnia
præceſſerint. diſtributis taliter offi-
cijs vt nemo pro erroris ſui excuſa-
tione ignorantiam allegare valeat;
obſeruandum an potentia alicuius,
vel magna offerentis, vel terribilia
minitantis miniſtrorum probitatem
concuſſerit? An ſpecies mulieris de-
ceperit? An munera corruperint?
atque hic opportuna diuiſio erit, vt
electis ex nobilitate ad varia officia
viris idoneis primariis de plebe coa-
diutores adhibeantur, qui variarum
rerum ſcientia, atque experientia,

non

non rarò nobiles antecellunt, infe-rioribus verò alii, vel rei benè geſtæ teſtes futuri, vel defectus accuſato-res. hi præfecto militiæ à conſilio ſunt, ſed proprio impetu motum ſuauiter coercent, vt plus deferat Principis ſui vtilitati, quàm propriæ gloriæ cupiditati. Ad Principes de-ſtinato Oratori ſocii deputantur, vt ille quidem aulæ ſuæ pompa, Domi-ni ſui magnificentiam repræſentet, hi ſecretorum participes, principali negotio ſollicitè inuigilent, ne alie-num à Principis voluntate exitum legatio referat. Suadebant Principi, ne tales miniſtros in bello adhiberet qui ob tenuem fortunam ab hoſtium ampliſsimis muneribus alllici ad pro-ditionem crederentur, forſitan ex-pugnandi ab auro qui ferrum nun-quam timuiſſent. idem de conſciis ſecretorum Regni dictum eſt; ſed vtinam illemet qui talia protulit, ab aduerſario Domini, penſionem non accepiſſet. per indicia ſecretum iſtud detegi ſolet, ſi nimirum maiores ex-penſæ ſine nouis prouentibus ab illis fieri videntur; vt ſunt largitiones in-ſolitæ, conuiuia, ludi, & ſimilia. mi-ſerabilis conditio Principis eſt, cui tales miniſtri ſeruiunt qui tam inge-
n'osè

moſe proditionem tegere norunt; quam ſimulant fidelitatem: omnes ferè machinę, quæ contra Rempublicam parantur, in gremio Dalilæ reuelari vt plurimum ſolent. Tullius diuiſione hac vſus eſt inter Amaſios, laudans in Fuluia meretrice, quod Patriæ amorem prætuliſſet blandimentis Catilinæ: quæ forſitan ideo à Plutarcho inter nobiles Matronas numeratur: in conferendis officiis illis (quæ inter nobiles diſpenſari mos inualuit) mediocritatem quandam ſeruandam eſſe decretum fuit: vt non tā antiquā familiæ proſapiam requiramus, quę vſque ad Noachum, qui fuit vir agricola, aſcendat, neque tam recentem, vt meminerint ſenes quid in officina nobilitatæ familiæ emerint. Lanceas in vomeres conuertere Diuinæ pietatis eſt, ad quam ſpectat furores bellicos ſedare; nullius enim calamitatis expers eſt, regio illa, in qua bellum geritur. vomeres, atque vlnas in lanceas ſubinde conuerti, humanæ iuſtitiæ ordo poſtulat; vt à virtute quorundam (quibus aliqua honoris ſigna pro præmio dantur) ampliora expectent ſocij illuſtres, ac meliora æmulentur, reliqui ad virtutis ſtudium à dome-

 ſticis

ſticis exemplis excitentur . omnibus hominibus ſatisfacere in ſolius Dei poteſtate eſt, qui ſecum regnaturis hoc gaudium reſeruauit. in hac vita mortali, nemo eſt qui meliora non appetat, niſi fortè is, ſi quis eſt, qui ſpretis omnibus mundi bonis, per Diuini amoris vnionem, æternæ beatitudinis ſtatum inchoauit. omnia bene facit Deus; & tamen ſi aquam tempeſtiuam in terram immiſerit, gaudet agricola agrum ſuum fœcunditate donari, dolet viator viam ſuam, ac veſtem irrigari. magnanimitatem Principis, liberalitatem, clementiam, magnificentiam, miſericordiam laudant omnes: iuſtitiam illi, quibus cauſa adiudicatur, qui ad honorum gradus promouentur, qui domus ſuæ ſecuritatem à latronum. ac graſſatorum iuſto ſupplicio recognoſcunt. quod ſi aliquis ex domeſticis grauiter deliquerit, vt pœna capitali dignus ſit: tunc clementem in propria cauſa Principem vellent, quem in aliena ſeuerum collaudabant. ſic benè diuidit Princeps, ſic benè imperat, vt pauperibus potiſſimum ſua munera conferat, nolens in ditione ſua Lazarum commorari, cuius vulnera præter canes

nullus

nullus ſit qui lingat, nullus qui curet, neque Regulum, qui ſecum in opulentia certet, nobilibus honoris gradus diſpenſet, & cuiuslibet conditionis hominibus, quos virtus nobilitat, omnes ſubditos vultu placido excipiat, patienter audiat, recreatos dimittat. Si ita diuiſi miniſtri ſint, vt cum omnibus conueniendi ſui Princeps poteſtatem faciat, probabiliter timeant, eiuſdem profeſſionis homines qui poſſent illis in officio ſuccedere, vera quædam crimina reuelaturos, ſeu falſa confićturos, etſi tam defenſioni, quam accuſationi locus detur, nemo erit qui ſe etiam iniuſtè accuſari velit, nemo qui factum ſuum purgare. hunc verò fructum ex facillimo aditu ad Principem fidelis miniſter percipiet, vt auſuri non ſint ſiniſtri quidquam, æmuli eius, ad ſolium Principis deponere, amicis vero conceptam de probitate eius à Principe æſtimationem, facillimum futurum ſit amplificare. in medio populi huius conſtitutus Rex (in quo à miniſterio arceantur rerum ignari, arceantur iniqui) in arbitrio eius erit recenſere ſubditos quaſi agnos, ac ſi opus eſt bellum parare. & quidem ſi hoſtis eum intra

ditionis ſuæ limites aggredi delibe-raſſet, iuſtiſſimæ defenſionis, orbis vniuerſus teſtis erit, & iudicauit Senatus non conuenire, vt ſub alio duce ſubditi eius militent, ne ſi in munitionem aliquam ſe receperit, de ſuis viribus diffidere videatur, vel parum in ſuorum fidelitate, ac generoſitate ſperare. ad inuadendam alterius ditionem, ſicuti accuratius ponderanda eſt belligerandi cauſa, ita Reipublicæ rationibus non conducere conclusum eſt, Regis libertatem, ſiue vitam ipſam periculo exponi nedum aliquid addere dominio ſuo intendit, totius fermè quod pacificè poſſidet, iacturam faciat. parua eſt æſtimatio corporis, cui caput à ceruice abſciſſum eſt. eſto quod in ſolo naturali corpore res deſperata ſit, quod hæc duo denuò cohæreſcãt; ſanè Princeps nonniſi magno pretio redemptus è captiuitate ad ſuos redit, & ſpem hoſtibus facit poſſe exercitus illos ſæpius vinci, qui paſſi ſunt ſuum Principem in terram alienam compelli. quando hoſtium copiæ tam imbecilles ſunt: vt præliari cum aduerſario ſuo etiam in proprio ſolo non audeant; non eſt quod veterano milite cinctus Rex, quidquã timeat,

vbi Amazonum Regina, poſſet tutè agros vaſtiſſimos depopulari. etſi varia,bella gerentibus, ſtratagemata permiſſa ſint, cùm parum illorum intereſſe videatur, an vi an dolo belli negotium conficiatur: dictum eſt ad generoſitatem animi pertinere (quæ Principes maxime decet) bellicam gloriam magis ſpectare, quam ex aſtutia, ſeu mercatorijs quibuſdam negotijsorituram vtilitatem. magnus Macedo aliquot Vrbes, à proditoribus vltrò ſe dedentibus accepit, ſed numquam legitur auro expugnare voluiſſe hoſtium animos, qui ad ſubigendam Aſiam milites duxerat ferro armatos. mirabile quod gloriæ ſuæ obſtare putabat ſi Darius abeſſet, ſi in anguſto loco dimicaret, vel ſi de nocte quaſi furtum committeret, volens Regem] vincere in conſpectu Solis. Tantum abeſt, vt ſecretis quibuſdam ſcedulis, notas arbitrarias continentibus vellet corda ſubditorum hoſtis ſui excantare. Nemo ingenuus a filiofamilias ne tunicam quidem ſibi vendi pateretur: quomodo à proditore Domini ſui, emeret ciuitatem nullius ferè egens Rex? in priuatorum iuribus diiudicandis non illum qui verbis contumelioſis

 cla-

clamans, aduerſarium pungit, ſeu conuicio cedit, iure potiorem Iudex pronunciat, ſed qui cum ratione conſentit. ſic in Regnorum iuribus ponderandis res ſe habet: vt non in gladio qui pungit hoſtem, ſiue cedit, ſed in productis poſſidendi Regna, iuſtis titulis, ſiue poſtulandi, iuſtitiæ rationem ſitam eſſe ſapientes aſſeuerent. in membranis iura exarari mos obtinuit: Iuriſperiti legum interpretes ſunt, per quos atramento potius quám humani ſanguinis effuſione decidi controuerſias oporteret. vbi inter ſupremos Principes de ditione aliqua controuerſia nata eſt, tertius quidam arbiter conſtituendus eſt; qui neutri parti obnoxius, pro veritate ſententiam ferat. ad gladium pro executione tantum recurritur, quæ difficultatem aliquam ſecum trahit quando repetitur id quod longo tempore alter poſſedit, cùm lictorum turba, ad res tanti momenti minimum valeat. Leonem à beſtiis Regem proclamatum fuiſſe, nec verum eſt, nec veriſimile. ideo illum Regem appellamus, quia videmus eum inter beſtias robore præualere. qui hoc apud homines ſufficere exiſtimant, vt rerum potiantur, Tur-

carum Tyranno applaudunt, vt ad Vrbem appropinquet. tandem rogatus fuit in hoc politicorum conſeſſu Princeps, vt nonniſi neceſſitate compulſus ad fundendum humanum ſanguinem arma paret; nam cum incertus ſit belli exitus, poſſet contingere cum fortunæ inconſtantia, vel ſeruire alteri, vel paucos habere quibus imperet; quandoquidem omnem hominem poteſtati ſublimiori ſubiectum eſſe Deus iuſſerit, quocunque nomine appelletur ille, qui imperat: æquo animo tolerandum eſt, ſi facultates, & vitam ipſam pro bono publico contemnere cogatur; contra illos vero qui ſuper alios conſtituti, authoritate abutuntur, parum curantes de erroribus ſubditorum in anima, vulneribus in corpore, damnis in facultatibus atque honore, tremenda dudum à iuſtiſsimo Iudice lata ſententia eſt:

Potentes potenter tormenta patientur.

De Officio Miniſtri Status.

CAPVT XI.

SAcramentum Regis abſconderr bonum eſt; quod facilius à paucis præſtari, quàm à pluribus expectari poſſe credimus. hinc eſt quod Principes ægerrimè arcana ſua palàm faciunt, ex quorum reuelatione ſæpè ignominiam, ſemper grauiſſima damna timent. vnde plerumque ad vnum, totius regiminis onus deuoluitur, quod mirandum non eſt vbi cum ſuo miniſtro Princeps ſanguine coniungitur, vt pro vno reputentur ambo ſiue Regnum ad propinquum Regem tranſeat, ſiue optimi regiminis gloria ad familiam electi Pricipis deſcendat, verum ſi ob ſingularem rerum politicarum ſcientiam quis ſubditus, ſiue extraneus, arctiſſima cum Principe neceſsitudine coniungitur, vel quod periculoſius eſt, ſolius ſympathiæ beneficio ſuper ſapientes euehitur: tunc cordati a— coniuncta potentiæ ignorantia, ſiue ab inſolita priuati proſperitate fortunæ, infortunium præſagiunt, inuidi felicitatis alterutrius ruinam machinari

chinari incipiunt. quiſquis ille eſt, qui ſub Monarcha onus imperij humeris ſuis imponi conſenſit, hunc ante obitum beatum nemo dixerit, cum tragica quædam fortunæ volubilitas huiuſmodi hominum authoritate deiecta, mortalibus præbuerit ſpectacula. non ſolent Reges illos ad miniſterium Regni aſſumere qui deficiente eorum prole maſcula, ad Coronam vocati ſunt, ne ſuauitate dominij allecti, tempus anticipare ſtudeant, partim munificentia ſua, partim variorum officiorum diſtributione (quæ recipientibus valde vtilia ſunt) captiuantes ſubditorum corda, ac ſi liberè ijs liceret Sponſæ de poſsibili porrigere oſculum, quaſi mox futuræ vxori, & leuem culpam committerent veluti vnicam in eadem pagina lineam præteruolantes. ſicuti inhumanum eſt quod inferioris notæ ſubditus ad Regni negotia arcana vocatus Principi ſuo inſeruire recuſet: ſic temerarium dicimus qui quibuslibet artibus, animum eius pellicere ſtudet, vt nullo præter ipſum vtatur familiarius, nullo libentius. vix credent poſteri, quod in terra aliena quiſquam ſecretorum Regni particeps factus ſit: quod proſperè

ſperè Miniſtro, vt cum ſumma laude viueret, cum nominis immortalis gloria occumberet. contigit aliquando quod Princeps neque de ſubditorum ſuorum fidelitate diffideret, neque de capacitate dubitaret, ſed in peregrino, ingenij præſtantiam, rerum politicarum experientiam, in rebus dubijs ſolertiam, in conuerſatione naturæ facilitatem admiratus fuerit, vt propterea eum dignum iudicaret cui negotia arcana Regni committeret. quod ſi Principi non licet illo vti quem ſibi vtilem futurum exiſtimat, iam rerum ordo inuertitur, vt paucis obediat, quem decet omnibus imperare. qui Principi inſeruit, qui à Regni Proceribus electus eſt, cum ille in rebus agendis plurimum exercitatus ſit, ac Reipublicæ adminiſtrandæ peritus, omnes ferè miniſtri partes expleuerit ſi mādata Domini ſui fideliter fuerit executus. ad ſummum quæ illi memoria elabuntur ſagaciter reuocanda ſunt, vt nūquam videatur quidquam noui diſcere, ſed veterum reminiſci. in Principe vero qui hæreditario iure imperium obtinuit non ſolum memoria iuuanda erit, ſed & purgandus ab errore intellectus, ac ve-

ritate

ritate aliqua, quæ communi bono conducat imbuendus. ætas prima Principis magnam conſeruandæ vitæ, ac ſanitatis curam ſibi vendicat: dum loqui incipit, Deum laudare docetur, ac Sanctæ fidei rudimenta recipit. mitius in ijs addiſcendis cum illo agitur, ſine quibus æterna ſalus obtineri poteſt, ac ſubſiſtit Principis authoritas. Adoleſcentia delicias appetit, atque illos labores duntaxat ſubire parata eſt, quibus delectatio aliqua annexa eſt. ipſa venatio, quæ feram non offendit, moleſtiam affert illi ætati, & ſi fruſtra iacitur rete, ante aues, ſiue piſces magnam temporis iacturam deplorat adoleſcens, quo beſtiam lucrari nequiuerit: & quidem venatio ferarum (quæ maiorem vitæ hominis partem non abſorbet) Principi maximè conuenit; vt ſi opus eſſet in bello iuſto, humanum ſanguinem fundere, cordis humani teneritudinē exuerit in occiſione feræ; quomodo enim ſibi ſimilem interimere auderet, qui in prima venatione ægrè beſtiam confodit? quando vero rationis, & conſilij compos non eſt, vt ſecundum iuſtitiæ regulas, à proximi ſui læſione deſiſtat, ſiue damna ei illata repa-

ret: tunc veluti humanitate exutum, Princeps factus miles aggreditur, qui venator, etiam bipedes beſtias conſectari aſſueuit. antiqui problematis an togam armis cedere conueniat, ſolutio necdum data eſt. pro toga militat quod ſine conſilio Sapientum, temerè bellum paratur, neque alium finem præter pacificum Regni ſtatum ſibi præfigere poteſt, qui bellum alicui infert. pacis verò negotia à togatis confici quis non videt? nihilominus facilius Principi equi frœnum arripere perſuaſeris, quàm calamum ſtringere. excipe, res geſtas heroum (quibus ad virtutis imitationem alliciendi lectorem generoſũ, occulta quædam vis ineſt) codices illos vaſtos, qui iura varia continent, enutriti in delicijs (vtpote laboris impatientes, ac nullo indigentes) non euoluunt; verum ij quibus res anguſta domi eſt, vel qui conditionis ſuæ mediocritatem ad eminentem honoris gradum comite virtute euehere conantur. Vtinam omnes qui imperant, ſaltem hoc vnum mentibus ſuis firmiter impreſſum retinerent, ſe à Deo populis veluti patres, ſeu paſtores datos fuiſſe! Parentes autem à filiis

præter

:æter honorem, atque obedientiam
rè nihil exigunt. nam quod ad cæ-
:ra bona attinet, illa parentibus, ac
liis communia ſunt, ita tamen, vt
is conueniat diuiſionis directio,
s diſpoſitionis approbatio. non
ɔnqueritur iunior ſi primogeniti
atris ſui veſtis plures holloſerici vl-
ıs contineat cùm corpori ſuo ada-
:ata illa ſit quam geſtat. Sic nemo
bditorum dolebit ſi viri præſtan-
ſsimi merito præmium non vulga-
: correſpondeat. Sicuti parentum
ıbecillitas filiorum nititur adole-
entia: ſic ſenum prudentia (quæ
ɩ legum peritia, ac rerum expe-
entia manat) adoleſcentiam Prin-
pis fulcit, ac ſuſtentat. cui magna
us debetur quod in ſua arte ciuili-
:t fidem dare non recuſet, neque
ı ijs, in quibus minus verſatus eſt,
ıpientum iudicio acquieſcere. qui
ıonuit Dominum ſuum miniſter
: in ancipiti rerum ſtatu optimos
ɔnſulat, ipſe verò ſecreta Regni
ıutè cuſtodiat (ex quibus bono pu-
lico vtiles concluſiones opportu-
o tempore depromendæ ſunt) tam
rincipi, quàm primoribus Regni
tisfec ſſe videtur, probans illi in
:bus agendis ſollicitudinem, his in
conſi-

conſilio ab ijs petito reuerentiam; ſed in aulæ fluctibus nauigans, meminerit ſe calumnijs inuidorum veluti pyratarum infeſtationibus expoſitum eſſe, neque a Principis ira (quæ veluti ſcopulus nauigantibus in hoc mari eſt) planè tutum. pone quod aliquid graue iubeat, cuius poſtea obliuiſcitur aliter modo exiſtimans: videbitur miniſter Principis ſui authoritatem vſurpaſſe, qui fideliter, & promptè mandata eius executus eſt. quid ſi rem inhoneſtam, ſiue iniuſtam præceperit, ac miniſter inuitus, ei morem geſſerit: cùm re turpi detecta nemo Principem culpare audeat, facillimè continget in ſeruum crimen transferri. vnde fieri poteſt, vt minus nocens mortē obiret, quia turpitudini conſenſit, non tamen innocens, quia iniuſta proponenti, viriliter non reſtitit. malignantium calumnijs, atque æmulorum technis, hunc murum æneum oppone quicunque ad miniſterium Regni aſſumptus es: vt omnis actio tua Principis honorem redoleat, publicam vtilitatem, conuerſationis humanitatem. Si videris in Regina conſanguineis Regis, ac Regni proceribus, aliquod tui æſtimatio-

tionis ſignum: memento illos,
itiam Regis in te honorare, te ve-
ab illorum poteſtate pendere, vt
n aliquo offenderis, audacter te
id Regem accuſent, ſeu vehe-
ntem famæ ſiniſtræ ſuſpicionem
ngerant; quando tuam operam
aliqua petitione apud Regem re-
runt, tergiuerſare non quia ſer-
e recuſas, ſed reſponde te ad
s confugere in propria cauſa de-
iiſſe, vt videant in te poteſtatem
n humilitate, in Rege vero pote-
is honorem. Reginæ de Regni
nquillitate ſollicitæ, miniſter qui-
n Regis audaculus reſpondiſſe
ur, illam ad pariendum Regni
edem accerſitam fuiſſe, hæredi-
s conſeruationem viris cordi eſ-
Reſponſi ſubſtantiam cum riſu
epit Rex: verbi inhumanitatem
uorum dierum exilio mulctauit.
officiorum diſtributione hanc re-
am ſerua: vt ſaltem idoneis illa
ferat Princeps, vbi meritum pro-
ioni non coniungitur. tunc ſi in-
ſtria promoti effectum exoptatum
i fuerit conſecuta, electionis vi-
n non erit, licet ex euentu ru
res de te æſtimaturi ſint. quando
pacis, quàm belli negotia ad

volun-

voluntatem fluunt : ad Principem poſt Deum, totius proſperitatis laudem referas. vbi vero ætati,ſcientiæ, virtuti Regis attribui nequit honor, da familiæ Regię pietati, da iuſtitiæ cauſæ vel iuſto poſſeſſionis titulo ; non enim aſſentationis vitium incurres, ſi quod ſumptibus Domini tui vbique feliciter geritur, ad magnificentiam eius pertinere dixeris; alioquin ad fores inſignis Baſilicæ fabrorum nomina apponenda erũt, quia illi lapides aliquos congeſſerunt neglecto illo qui in auri copioſi oblatione,omnia ad ædificium Templi contulit. non arceas quemquam ab audientia Principis, ne videaris accuſatorem timere, conſcius delicti. benignè per te admiſſum, bonæ administrationis preconem feciſti. fac vt vilia quædam negotia, caſtas Domini aures non offendant. illa miniſtris inferioribus vehementer inculcanda ſunt, vt quamprimum terminentur, ne plebicula quæ clamat per plateas, viuat Princeps, tibi iniuſtitiæ, ſiue negligentiæ notam publicè inurat. qui operis ſui mercedem ſæpius exigentes ſolutionis dilationem, vel verbis durioribus adiectas minas, à potentibus retulerunt :

runt: hos redire iube; Interim debitores certiores fac, à te impeditos fuiſſe, ne lachrymæ illorum à clementia Principis, iuſtitiæ rigorem extorquerent. vtrique parti gratiam præſtiteris, illi quia laboris pretium à debitoribus recipit, huic quia diuturnæ more ſoluendi pœnam cum rubore non luit. Fac vt in Regno Domini tui nemo quemquam timeat præter Deum qui omnia videt, & Principem qui ad vindictam malefactorũ quæ videt gladium portat. Latrones, homicidæ, percuſſores, fures, aut moriantur, aut exulent. Sic non timebit Aduocatus, pauperis patrocinium ſuſcipere, non timebit Iudex in fauorem egeni ſententiam pronunciare. præclariſſimam rem facies ſi à Domino tuo decretum impetres, vt cauſæ magnatum, qui titulis nobilitatis decorantur, ſeu propter officia ex primarijs ſpectabiles ſunt, etiam in ciuilibus non niſi præſente Principe ventilentur: quod illis liberè conſentientibus, in lucem edi expedit, ad quorum laudem pertinet, nihil contra iuſtitiam concupiſcere, nil poſſidere. mediocris fortunæ hominibus (qui potentes ſunt pauperibus comparati, ac varijs arti-

bus

bus lites ducunt, vt ſæpe cogatur pauper, propter anguſtiam rei familiaris à litigando deſiſtere) pauperũ procuratores oppone, & numerum illorum auge ſi multiplicatæ fuerint pauperum cauſæ. fortè miſericordia motos aliquos Iudices reperies qui ſponte ſtam ex ſtramine partis potentis, ſi cauſa ceciderit, à pauperibus ſibi confici conſentiant, ſi ſecus accidat ius ſuum charitatis igne abſumi. neque deerit Chriſtianus Iudex qui propinari ſibi à paupere vini calicem tunc primum poſtulet, cum adiudicata ei cauſa, vineam ſuam è manibus potentum iuſtè eripuit. honorificam rem tibi ſuadeo, vt omnibus bene facere ſtudeas, ſed à nemine munus oblatum accipias. ſic fiet vt liberè ſoli virtuti præmium des, ſolum meritum reſpicias: quod gratiſſimum honeſtioribus eſt (qui nollent ſine merito ad honores promoueri) ac tacitè condemnes ambitionem illorum qui mallent abſq; labore per compendioſam auri viam ad honoris faſtigium aſcendere. ſi potens quiſpiam mortis reatum incurreret, & videas Principem ad clementiam propendere, vt pœnam mortis in mulctam pecuniariam cō-

mutari

mutari patiatur, ex hac, contra communem Reipublicæ Chriſtianæ hoſtem arma parari impetra, vt videant omnes Principem tuum pecuniam contemnere, ac morte illorum non delectari, quorum vitæ obſeruantioris ſpes affulget. ſi condemnati ad mortem non tamen propter atrociſſima crimina, libellum ſupplicem Principi tuo offerant, quo vitam ſibi concedi non poſtulant, ſed mortem ignominioſam a ſe auerti: Author eſto illis apud Dominum tuum, vt paucos perterrefacturi ſi ſuſtinerent pœnam carnificis, a vinculis liberi, mittantur ad defendenda propugnacula totius Chriſtianitatis. à longinquo pagani, populis formidinem incutiunt, ſi tamen à longinquo dicendum eſt, quod præcipuas Chriſti corporis myſtici partes non attingant. de Scorpio qui pedis digitũ alicuius pupugit, dicimus quod hominem momorderit; ſic de paganis in dies in fratrum noſtrorum caſtra irrumpentibus dicendum eſt, quod membrorum calamitas totins corporis iucunditatem turbauerit. truculentum in Regni viſceribus inimicum (cui annonæ penuria nomen eſt) totis viribus eliminare contende. hic longe

ge crudelior pagano eſt,qui facultati. bus ad ratã p ouentuum,atq;obediẽtia popu'or i contentus, non cogit quẽquam à caritate recedere. ſi propriè loquamur nulla res eſt, quæ poteſt hominis libertatẽ infringere; ſed dicũt rudes,ſe ex neceſsitate aliquod malũ perpetraſſe quãdo puſillanimes mortem, quæ minus quon s crimine malũ eſt,ſuſtinere noluerunt,ac ſi tenerentur cum dedecore viuere. con. forta infirmos in fi le, qui contenti ad fontem vel puteum bibere ſine obſonio panem poſtulant: quem ſi emere nequeunt quia ſummo pretio frumentum venditur, non quidem furtum licitum eſſe affirmabunt, nõ fornicationem, non adulterium; ſed dicent ſe neceſsitate compulſos peccaſſe, aggrauantes miſeri peccata ſua, quæ excuſant. ſicuti Ciuitas materialiter pro cõtiguis hominum ędibus, quæ muro cinctæ ſunt, accipitur, ſic magis propriè pro commorantium pariter hominum vnitate. Templum Dei vocamus illam domum, in qua Deus ritè colitur: Apoſtolus corpora fidelium membra Chriſti, ac templum Spiritus Sancti appellat. quando antiquorum Romanorum magnificentia (quæ vaſtiſsi-

ſtiſsimas quaſdam moles erexit adhibitis ad ſtructuram ex tot millium hominum multitudine ſub dura ſeruitute redacta, ſeu pro fide Catholica ad ſecanda marmora damnata operarijs (quibus panis, & allium cibus erat, aqua potus) magnanimi Domini tui generoſitatem titillare videtur, ad ſimile quid efficiendum in veri Dei honorem, quod gentilitas falſis Numinibus extruxit, obſerua, An vtriuſque Ciuitatis, vtriuſque Templi ornamento facultates Regni ſuppetant? ſi videris deeſſe vires generoſo, ac pio deſiderio: qui inter duo mala, quæ ambo euitari nequeunt, minus eligendum ſuaderes, ſic inter duo bona, quæ ambo effici nequeunt ſuggere Pharaoni tuo: vt pro nobiliori, lapides illi, quos in mente coaceruat, panes fiant, ne ob inopiæ timorem populi iuſtitiam deſerant, ſine qua templum Dei eſſe nequeunt, vel vnitatem, ſine qua vacillat Principis authoritas. minutæ plebis querelas, ac murmurationes ſi tibi nihil conſcius es, tam parum cura, ſicuti caniculæ latratum, circumeuntes moloſsi. ſi vero Primores Regni famæ tuæ detraxerint, placandi ſunt quando

do perſonam oderunt; ſin vero miniſterium: videndum an prædeceſſorem tuum eodem modo carpſerint? Sanè ſi nullius regiminis forma illis arridet, cauſam ſuſpicandi dant, ſe ægrè ſubiectos Regi, ad maiorem quam priuata eſt, conditionem, ac fortunam aſpirare. in famoſi libelli authorem grauiter animaduerte, præcisè quoad illa verba, quæ Principis dignitatem lædere videntur; quæ verò tibi ſcurriliter impoſuit crimina, diſsimulanda ſunt, ſi falſa; ſin vero ex ignorantia, vel obliuione in aliqua re defeceris, non tanquam maledicum illum æſtima, ſed cenſorem, qui in hoc peccauit quod defectum tuum auxit, & corripi non corrigi te voluit. de corporis alimentis multa dicere indecorum eſt; ſed hoc vnum obſeruandum: vt nullum ferculum appetas, nullum poculum quod aliquis ex familiaribus tuis (qui tibi in minoribus conſtituto ſeruire incępit) expreſsè ad hoc ſolum deputatus, tibi non appoſuerit. affabilem te ei exhibe, ac munificum, ita tamen vt præteritæ ſeruitutis præmium recipere videatur, non præmuniens contra proditionem pharmacum. dic vt bene tibi ſeruiat, &

bene

bene ſperet, quæ verba generalia plebeis maximè conueniunt, quibus ſi quod ſtatuiſti illis dare poſt mortem determinas, fortè parum illis videbitur; vel de bona voluntate per Tabellionis inſtrumentum certiores facti, de conſtantia tua anxij erunt, vt non permiſſuri ſint te amplius teſtari, ſed adhibita maiori in famulatu diligentia (quam nouo beneficio gratus animus rependere creditur) potioni tuæ vel iuſculo, virus ſupermittent a mortuo ditandi, & forſitan a viuo præmio afficiendi. quod exitium tibi eo facilius afferet, quo inſcius proditionis medicus non profutura, vel fortè magis nocitura medicamenta tibi offeret. ò quam deploranda eſt in magnatum proſperitate neceſſitas, quod tali hominum genere indigeant, ex quo aliqui malunt in otio perfidi viuere, quam cum honore defatigari! Si Princeps domum tuam ſua præſentia honeſtare dignetur, & fortè hoſpes eſſe velit, fac vt non tam parca cœna tua ſit: vt fratrem germanum hoſpitio excepiſſe videaris, neque tam magnifica, vt in palatio ſuo nunquam tam lautè ſe cœnaſſe Princeps affirmet, multum minorati à viris, parum

rum

rum eminentes ſuper mulierculas ſunt illi homines, qui tam corporis, quam animæ defectus proximorum ſuorum propalare conſueuerunt, in quo Communitates quædam peccant, neminem ex ſuis, nomine proprio appellantes, ſed illo quod naturæ vitium non perſonæ demeritum deſignat, alterum appellantes claudum, alterum gibberum, ſiue luſcum. minus abſurdè alij diminutiua nomina ſibi inuicem attribuunt: in quo ordinem naturę inuertunt, quę proceros vt plurimum homines format, paucisſimos pigmæos, illi omnes homunculos eſſe volunt. ſi non licet corporis defectus (quem ob peccata parentum fortè aliquis contraxit in conuerſatione, mentionem facere ne contriſtetur innocens, quanto minus per contemptũ exprobrare alicui licebit crimen, quod deteſtatur pœnitens. Pictorum Ars inſignium quorundam virorum effigies tam aptè diſponit: vt aſpicientium oculis coclites non appareant: multò melius charitas Chriſtianorum, proximorum defectus tegit, quos ex omni parte mundandos, ſine macula, ac ſine ruga in publicum prodituros non deſperat.

temeritate plena res eſt, vt qui in priuatum, culpam ſuam conferre nequit miniſter, in Principem, ignorantiam propriam popularis querelę cauſam coniiciat. Seianus in Tyberium liberrimè inuehi auſus eſt, adiecto ſermoni irreuerenti aliquo corporis eius vitio: quid plura! delata ad Tyberium res eſt, qui virtutis præſidio deſtitutus, *vix homo* credebatur, & *principem* ſe eſſe meminit. infeliciorem nouiſſimo virorum te reputarem, ſi tali Domino operam dares, qui totius Regni munera ad ædes miniſtri ſui, cõfluere ſinit, vt factus locuples, theſaurum ſuum augeat, ſicuti lanienæ deſtinatam beſtiam ſaginare ſolemus: vt menſæ noſtræ opiparum ferculum ſubminiſtret. & quidem pro occiſione animalis, ſola appetitus, ſeu neceſſitatis ratio ſufficere videtur: ad delendũ hominem etiam mali Principes apparentem ſaltem cauſam quærunt, vt iuſtitiæ neceſſitas in opere appareat, non auri cupiditas. hiſtoriæ antiquorom refertæ ſunt cupiditate Tyrannorum, ſub ſpecioſo titulo cultus Deorum Chriſtianos ad idololatriam allicientium: quorũ animos nouerant, neque tormentis

expugnaturos. putas ne contra eum (cui omnibus ſatisfacere impoſſibile fuit) accuſatores, ac teſtes defuturos, qui talia apud Iudicem deſ eo deponant, vt torqueri eum poſſe, cenſeat? at ille confiteri eliget ſe læſæ maieſtatis reum quam diu cruciari; nouit enim quod pecunijs inhiet Dominus, quas obtinere honeſto titulo nequit niſi fiſco addictæ fuerint. atque hæ ſunt *infelices illæ victimæ*, quas vaferrimi Principes mactare ſolent, ſpecie quidem quaſi populi iram propter iniuſtum regimen placaturi, reuera autem fortunas innocentum inuaſuri. neſcio an inter facetias Principum, ſiue inter calamitates miniſtrorum reponendum ſit: quod ſubridentes, ſubinde maximam pecuniæ ſummam à miniſtris ſuis verbo eorum abſque Chirographo fretis, mutuo accipiunt: cuius rei vel obliuiſcuntur, vel obliuionem affectant. hic hærent miniſtri, qui Principes citare coram Iudice nequeunt, vt debitũ perſoluant, quia ſuperiorem non habent, monere non audent, quia omnia ſe accepiſſe ab eorum munificentia fatentur. nihil intolerabilius in Regni miniſtro inuenias, quàm quod directionis ſuæ neceſſitatem

catem quandam apud Regem ſtabili-
re intendat? quod videntes populi in
Principem exardeſcunt, ſed magis in
ſeruum: quod ille nouam veluti di-
uinitatem adoret (ſolus enim Deus
neceſſarius eſt) hic in cauſa ſit, cur
idololatræ ſeruiant. pone Dominum
(cuius manus abbreuiata non eſt)
de lapidibus filios Abrahæ non ſuſci-
tare, neque piſcatores, modò ad præ-
dicandum omni creaturæ Euangeliũ
mittere; videmus in illis regionibus
(in quibus procerum votis eligitur
Rex) bono Principi meliorem ſuc-
cedere: qui creatus quidem dicitur
propter authoritatem quam acquiſi-
uit, ſed non modò genitus, propter
Reipublicæ adminiſtrandæ peritiam,
quæ in eo elucebat. Incredibile eſt
illam Regionem, quæ germinat Re-
ges laborare ſterilitate miniſtrorum.
Poſtremum tibi ſuadeo, quod in in-
tentione omnium merito debet eſſe
primum: nimirum vt nullum obſe-
quium Principi, ſiue villi alteri præ-
ſtes quod non ſit cum pietate con-
iunctum. miſerrima Miniſtri condi-
tio eſt, qui temporalem Domini ſui
ditionem, per fas, & nefas amplifi-
cat, atque ex populi beneuolentia

applauſum ſolum reportat, animæ vero ſuæ detrimentum patitur.

De Officio Doctoris.

CAPVT XII.

Corpori hominis ob aeris intemperiem domus, ad tegendam nuditatem veſtimentum, ad nutrimentum cibus & potus, medicina ad ſanitatem, arma ad defenſionem, multorum induſtria, atque arte parantur: à Sacerdotibus peregrinus, Sacramenta recipit, ac ſalutaria fidei Catholicæ dogmata: honeſtiores à Grammatico loquendi modum accipiunt, à Rethore ornatum, à Dialectico verum, germanumque cognoſcendi modum. à Phyſico ex rebus naturalibus optimè perſpectis diſcũt ad diuinas aſſurgere, à Mathematico demonſtrationum certitudines, a Metaphyſico tandem aliquid ita ratione concludere, vt ex primis, ſiue altiſſimis rerum principiis, illud deducere norint: hucuſque pedites ambulare coguntur, niſi amplam à parentibus hæreditatem acceperint. excipio Mathematicos, quorũ opera

Regi-

Regibus grata eſt, in expugnandis, ac fortificandis Vrbibus quibus intenti, frequenter ad laboris mercedem non perueniunt, obſeſſorum tormẽtis percuſſi. Theologiæ operam dare ſolent Clerici ſæculares in ijs ſolum regionibus, in quibus Iuſtitiæ diſtributiuæ ordo ſeruatur: vt pręſtantioribus ingenijs (quæ facili negotio alios ſtudioſos ſuperare ſolent) primaria officia in academijs conferuntur, per quæ ad maiora in aulis Principum, per gradus paulatim, maximè ſi gratia verbi accedat eruditioni, aſcendant. Regulares, primæ rerum cauſæ contemplationi, abſque ſecundarijs etiam licitis finibus vnicè intenti, ad amorem illius ſupremæ bonitatis accenduntur: à quo pauliſper digreſſi, ſic afflante ſpiritu Dei, ad proximorum ſalutem procurandã ſtudia ſua libentiſsimè conferũnt: fortè ideo in clauſtris Religioſorum magis ſolida doctrina tradi ſolet, licet plerique id ad commoditatem Bibliothecę, atque otium illorum reducere ſoleant. medicinæ operam ſuam libenter impendunt, qui citò ditari cupiunt; Iuriſprudentiæ verò ij, qui laboris ſui mercedem, honoris gradũ aliquem ſibi præfigunt, & ſæpiſsimè

aſſequuntur, cum quo emolumenta aliqua non ſpernenda coniungi ſolent. Iuriſperiti namque oppidorum, Vrbium, ac terrarum gubernacula tenent, Principibus viris in grauioribus negotijs aſsident, de negotijs belli, ac pacis ſententiam ferunt, Oratoribus ad ſupremos Principes deſtinatis ſocij deputantur, & fortè a nullo Aulæ loco excluduntur, niſi à quo abeſſe illis vtile eſt, ac valde decorum. vnde non malè ceciniſſe videtur quidam, dat Iuſtinianus honores. Grammaticæ Præceptoribus merito æquale præmium vix correſpondet, quod abſque vlla delectatione, veluti in ſterili arena ſemen iaciant cùm pueris duræ ceruicis, vel ad ſtudia non attentis, quotidie tractantes. Poetæ more Muſicorum curas lyra attenuant. Rethores, ſiue fictam cauſam agant declamantes, vt in veris poſsint orare, ſiue in Iudicijs, & Concionibus cauſam defendant non ſine gaudio perſpiciunt quidquid in quaque re, excogitari poteſt idoneum ad perſuadendum. id quod acerbiſsimè ferimus hoc tépore eſt, quod cum Grammaticis, Poetis, & Oratoribus antiquorum temporum, comparandi non ſimus,

& ne

& ne quidem ante oculos poſitis exemplaribus imitari illa valeamus. quis enim ad eloquentiam Tullij, ad facilitatem Naſonis, ad grauitatem Maronis, ad apparatum Claudiani, ac Priſciani diſcuſsionem modo pertingat? Mathematicas diſciplinas tam feliciter tradidit Euclides, vt poſteri contenti ſint, eum veluti ducem ſequi. Ariſtotelem Philoſophorum Principem nuncupant, ac ſequuntur ſententias ipſius, in iis, in quibus ab Eccleſiæ dogmatibus diſcrepare non cognoſcitur. quid dicam de Sanctis Eccleſiæ Doctoribus Hieronymo, Auguſtino, Ambroſio, Gregorio Magno Pontifice? de tot Sanctis Patribus tam Latinis, quàm Græcis, Diuo Bonauentura, Subtili Doctore, Magiſtro, & de Sancto Doctore Angelico, qui ſcripta Sanctorum, ac præclarorum virorum ad tam facilẽ methodum reduxit, ſententiam propriam tanta claritate, & ſoliditate propoſuit, difficultates arcanorum enodauit? fateri oportet, his viris tãquam Gigantibus nos veluti pygmeos comparari. Laudantur ingenia, quæ dictis illorum vel addere aliquid norunt, vel ſenſum germanum illis applicare. etſi Doctor nihil noui

auditoribus ſuis tradere queat, non tamen ab opere deſiſtere debet; nam vetera, & communia digna ſcitu sũt, & plerumque neceſſaria. Scientiæ ſuperiores latinè tradi ſolent, vnde Grammatices vtilitas, Poetica, & Rethorica pro ornamento hominis reputantur; vnde ad Humanitatem pertinere dicuntur, & quantum delectationis afferat Poetica cum Muſicis fœdere iuncta, ſatis notum eſt ijs, qui fere totum vitæ ſpatium in vtroque cantu ſe exercentes terunt, vel ſaltem cum lætitia auſcultant. Rethorica magnum pondus affert Oratoribus Principum, Politicis, Aduocatis, & quibuslibet in humano commercio vtilia ſuadentibus, vel noxia diſſuadentibus. ipſi preconi Euangelij ad inſulſum ſæculum noſtrum ſermonem habenti vtilis eſt, dummodo moderata fuerit, tolerantibus Eccleſiæ Dei Prelatis, vt fideles (qui veluti ſtomachi malacia laborantes, difficultatem ſentiunt in alimento ſpirituali recipiendo) catapotio Rethoricæ ornamentis inuoluto adiuuentur. Simile quid intendere videtur Eccleſia dum theſauros ſuos aperit Indulgentiarum; nam etſi ad virtutis opera tot titulos filij

eius

eius habeant, quod geſtant in capite capillos: nouit lentum cordis humani impulſum ad exteriora, niſi præmio aliquo allectum accipiat vigorem. dixi parum: nam cum toto ſpirituali lucro quod in Vrbe pluribus in locis eodem ſæpè die æqualiter propoſitũ eſt, illa ſolum frequentari ſolent, in quibus Muſicorum concentus, atque harmoniæ audiri poſſunt. ij verò (quibus pœna non remittitur, quia culpa per pœnitentiam non abſtergitur) veluti arrepti à ſpiritu nequã, refocillari cum Saule citharæ percuſſione indigent, vt leuius habeant. redeo ad Philoſophiam, quæ Medico, ac Theologo neceſſaria eſt, Iuris candidato perutilis. pulchrum eſt cauſas rerum naturalium inueſtigare, atque inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpicere. multum intereſt Reipublicæ, vt benè doceat Iuriſperitus: ad cuius diſcipulos ſpectabit, bona fortunę quorumlibet, imo & vitam, atque honorem vel doctrina ſua defendere, vel ignorantia perdere. quid peritia Medicorum valeat in ſaluanda vita hominum, experientia docet. vità inquam; ſine qua non ſeruiunt immenſi pecunię theſauri, ædes am-

 pliſ-

pliſsimæ, horti amœniſsimi, Muſicorum concentus ſuauiſsimi, militũ legiones robuſtiſsimæ. qui vero de illorum ſcientia, vel praxi dubitat, cur ad certiſsimas temperantiæ regulas non recurrit, abſtinentiæ, ac ſobrietatis legibus illud tantum ingerens in corpore quod naturę vires egerant? Theologus adhuc periculoſius cathedram aſcendit, cum in vna ſyllaba errorem inſtillare auditoribus poſsit, veluti ſi cum impio illo ex pſalmis, vel cum alio ex hiſtorijs afferat (non eſt Deus) cui ſi pertinacia accederet, vel Atheos fecit, vel Hæreticos. Qui docere cupit, vt non noceat, exemplum ſibi doctiſsimorum virorum ob oculos ponat; Sanctorum Gregorij Nazianzeni, ac Baſilij, de quibus in Eccleſia ſic legimus. Gregorius Athenis in omni diſciplinarum genere vnà cum Sancto Baſilio eruditus, ad ſtudia ſacrarum litterarum ſe conuertit: in quibus ſe in Cœnobio tredecim annos exercuerunt illarum ſententiam non ex proprio ingenio, ſed ex maiorum ratione, & authoritate interpretantes. Vbi obſerua, ad diuinorum cognitionem ſaltem ſtrepitum ſæcularium fugiendum eſſe, ſi animus non

adeſt

adeſt inter Religioſos vitam tranſigere; deinde per notabile vitæ ſpatium etiam puras mentes cognitione arcani diuini ſolum illuminari. Peto iam a Philoſophiæ, ac Theologiæ profeſſoribus (nam de alijs, qui vel pecuniam, vel honorem, & cætera vitæ huius commoda quærunt modò hic non ago) cuiuſmodi generis auditorum frequentia delectentur? dicent Philoſophi, ſe ſecretorum naturæ cauſas ſcire cupientes libenter admittere, Theologi Philoſophos qui ex viſibilibus mūdi cognitis, norunt ad inuiſibilia Dei, imbuti lumine fidei, aſcendere. fateor hanc eſſe tritam ad ſapientiam humanam viā, nam qui philoſophari eos exiſtimant quos quotidie audimus quoslibet effectus naturæ, ſoli primæ Cauſæ attribuere, cuius diſpenſationem ignorant, iam Philoſophiæ laurea donari fideles omnes opus erit, qui rerum omnium Authorem Deum confitentur. abſurdius videtur, ſi ad Theologiam Scholaſticam audiendam indocti accedant, cuius nobiliſſimum obiectum Deus eſt, a quo omnis creatura originem traxit, & rationalis, per varia media ad finem ſuum, qui non alius eſt, miſericor-

diter perducitur. Reſpondebunt primi, quod multa ſunt quæ ſcire, parum, vel nihil animæ proſunt: alij compendioſam eſſe ad Sacram Doctrinam, Charitatis viam. Ad quid enim deſudant præceptores, ac diſcipuli, niſi vt ex cognitione omnium creaturarum in amorem Dei rapiantur, quo ad metam peregrinationis ſuæ poſt hoc exilium feliciter perueniant?

De Officio Militis.

CAPVT XIII.

VBi ſpatioſus paſcuorum campus eſt, eiuſdem naturæ beſtias potius ludendo ſe oblectare videmus, quam contra ſe inuicem impetum facere. in anguſto loco ſi fortiori, imbecillis pabulum ceſſerit, bello finem impoſuit: nam impleta, herba, beſtia aquam non ſanguinem ſitit. animalia carniuora, è cauernis, ac ſyluarum latebris in manſuetas erũpere, potius naturæ neceſſitas cogit, quàm feritas. Si ſaturata in ſilua obambulauerint, robori ſuo, fugæ honorem attribui conſentient à timidis, quæ alias fami depellendæ ſeruirent,

a Lupo

a Lupo nihil ſibi Lupus metuit, ſed ambo in perniciem agni conſpirant. arma quæque ſua, ſed pauca à natura acceperunt, quibus ad paranda ſibi, vel conſeruandæ naturæ neceſſaria vterentur, quæ omnia nil iuuant, quominus ab homine ſuper omnia opera Dei conſtituto, vel domentur, vel interficiantur, niſi laqueos eius, corporis robore confringere, vel aggreſſorem lędere, vel veneno interficere valeant. excepta Elephantis proboſcide, & ſi verum eſt, quod baſiliſcus aſpectu ſuo; vel halitu hominem necat, quædam animalia cauda, alia vrina, veneno illum inficiuut, bubali corporis pondere comprimunt! repoſitoria Principum ex deuictis, arte hominum animalibus, dentibus, vngulis, & cornibus ſcatent. homini etiam poſt Adæ peccatum quædam maieſtas ineſt: vnde raro feræ niſi irritatæ illum aggrediuntur. Si quis eſt qui in denſiſſimis ſyluis, ac ſpecubus illas latere non permittit, vel qui ſerpentes veluti domeſticas beſtiolas cantiuncula ſua conuocare præſumit: quis miſerebitur incantatori? quis venatori? ſi ambo lacuſentam plagam acceperint, plura in perniciem alterius, quam in ſtutelam ſui

ſui arma ingenium humanum excogitauit. Pulueris tormentarij inuentor, fortitudinis bellicæ laudem ex parte ſuſtuliſſe videtur: cum per pueri exploſionem, cadere videamus Præfectum exercitus æquè ac Tyronem; ſed ponamus perinde æſtimari, ſi gladio interimitur homo, an igne, vel aqua: a quo didicit belluis ipſis crudelior eſſe, quas ad communis ſpeciei indiuiduorum conſeruationem, aduerſus ſe oppugnantes turmatim ſe defendere conſpicimus. Pro Dei honore, Michael Archangelus pugnauit cum dracone, qui ſimilitudinem Creatoris ſui temerè affectabat. non ſic Cain, qui ex maligno erat, triſtis de bono fratris ſui primum, deinde iracundus, ac fratricida. Nemrod loco diadematis illis temporibus inuſitati, imperium ſuper cæteros inſtituit, eo moleſtius, quo hominum illius ſæculi ſimplicitas, nil ſimile experta fuerat. In regione, Septentrionali, frigidum illud verbū meum ac tuum, tot mala in vitam hominum inuehens à ſæculo, & amplius iuuenes ad arma compellit, ſenes ad conſilium, mulieres ad fugam. Aſia opulentiſſima Orbis regio, quæ plurimis Regibus veluti pręmium

mium belli antiquitus deſtinata erat; nunc permittitur a Mahumetanis pacificè poſſideri. dicitur tantam opulentiam in ſe continere: vt filiorum natu minorum totius Europæ Principũ, dominandi cupidinẽ explere valeat. negari non poteſt vnicuiq; Principi ſupremo licere poſt legationes (quę via negotij nihil cõcludunt) quæ ſua ſunt armis petere, vel repetere. Sed fideles decet nonniſi ob grauiſſimas cauſas bellum inire tot malorum originem, vt ne quidem à vigilantiſſimo Duce non multum diſtante ab exercitu Principe, impediri queant. Propterea obſeruandum, an Iuſtitiæ cauſa manifeſta ſit, vel probabilis a timoratæ conſcientiæ viris rerum politicarum peritis, iudicata. vtinam ſicut loco Matathiæ ſurrexit Iudas Machabęus, qui cum fratribus ſuis præliabatur prælium Iſrael cum lætitia: ſic loco Godefridi Bullonij ſurgat magnanimus Heros, à Sanctiſſimo Patre Noſtro INNOCENTIO VNDECIMO benedicendus, qui cum Fratribus ſuis in fide, excludat a terra illa, quam Sacroſanctis pedibus ſuis Dominus Noſter calcauit, approbantes Mahumeti delirium niſi deſtari errorem ſuum parati ſint,

ac venerari Redemptionis myſteriũ! optandum ſub nobiliſsimo Duce , Militem conſcribi ex omni Natione Europæ, peditem quidem ex Germanis, atque Hiſpanis; qui in Acie ſtabile agmen conſtituant, quod Macedones phalangem vocabant: Equitem leuioris armaturæ, atque cataphractum ex nobilitate Gallica, ac Neapolitana, quorum generoſitatem Gregarij inter illos ſparſi, æmulatione virtutis imitari ſtudeant, vel diſciplinæ militaris legibus coacti ſequantur. diſtributa videmus inter viros variarum Nationum admiranda virtutum exempla; quidam enim in aggrediendo hoſte audaces ſunt, alij in reſiſtendo conſtanres, atque intrepidi, omnes ad nutum Ducis intenti: alij in inſequendis hoſtibus dexteri, & veloces. præcipuum verò robur exercitus talium eſſet, qui præterquam quod ſtrenui in bello, penuriam rerum ferre poſſunt æquè atque abundantiam: qui laſſati cubare humi, famem vel pati, vel exiguo pane depellere, ſitim aqua extinguere, ſine pecunia ludere, & cum his omnibus de Ducibus ſuis non conqueri, neque Dei mandata paruipendere. ad talia bella (quibus tam iuſta

causa

cauſa ineſt) cuilibet licitum eſt, alacriter procedere. neque tamen ſubditus damnandus eſt, qui adorſentos ditionem Domini ſui hoſtes repellit, vel aggreditur, etſi illi iuſtè quod ſuum eſſe exiſtimant repetant, ille alienum rapere videatur: quæ cum a populari cognitione abſtruſa ſint, non tenetur quilibet examinare. poſſe infideles ſub Chriſtiano Duce militare, modò periculum nullum ſit, vt Chriſtiani per illos peruertantur, ſpes vero optima, vt ad fidem Catholicam increduli conuertantur, ad praxim deducta, ac non reprobata ſententia eſt; quam tamen Reccaredus Viſigothorum Rex ſequutus non eſt, qui nullum in ſuo Regno militare permiſit, qui Regni Dei hoſtis exiſtere per hæreticam prauitatem non timeret. Infidelibus contra Catholicos bellum agentibus licitè ſuppetias ferre fideles quis audeat affirmare? ſi enim ad inimicos Chriſtiani nominis neque arma, neque funes deferre Catholicis permittitur (qui ex venditis mercibus ſuis certum lucrum reportarent, emptores vero incertæ victoriæ inſtrumenta) quomodo opera ſua, atque induſtria Vrbes Catholicorum, in poteſtatem infidelium

laudabiliter redigant? vbi verò Religioni ſuus honor eſt, quidam ſiue bellicæ gloria auidi, ſiue pecuniæ, aliena bella agere conſueuerunt, illius partis iura optima eſſe æſtimantes, quæ ampliori mercede externos allicit, maiori fidelitate de ſe benemeritos remunerat. & quidem cum ſtrictioris obſeruantiæ Regularibus quoad vitæ auſteritatem, quidam milites comparauerunt: quod ſicuti illi parcè vt plurimum comedunt, ſemper malè dormiunt, ita hi propter vtenſilium incertitudinem (quæ difficulter pro toto exercitu quoquo verſus vehuntur, & non vbiuis reperiuntur) ſæpè ieiunare cogantur, ac ſine tentorio, ſine lecto humi quietē capere, vel excubare. Crimina ſua Regulares pœnitentia purgant; qui etſi ſecundo peccauerint, pœnitentes denuò abſoluuntur. Militum peccata, quæ ad militiam attinent, ferè omnia morte expiantur; Iuſtitiæ nāque rigorem exigit militaris diſciplina. Toleratur Monachus, qui vigil ad excitandos fratres ſuos deputatus, ſemel in anno ſomno ſopitus edormire eos permiſit: ſic faciat Miles excubitor, & vide ſi iterum obdormiat, multum verò a Regularibus

Milites

Milites diſcrepāt quo ad mores; quia illi a virtutis decore allecti propter Dei amorem corporis commodis renunciarunt, atque homini ſe voluntariè ſubiecerunt, hi neceſsitate compulſi, inuiti miſerias ſuſtinent, ac formidine pœnæ vt plurimum a malis abſtinent, Ducumque ſuorum imperia ſedulò exequuntur, Diuina negligunt, ita vt in prouerbium abierit, raram eſſe alij dixere nullam militum fidem, ac pietatem. quod magis dolendum eſt, in Chriſtianorum Caſtris, tam exiguam inuenies militum in Deum obſeruantiam: vt niſi ad iuſtitiæ cauſam, & rectam Principis intentionem reſpiceret Deus, a iudicio Iuſti diſsipandus potius eſſet vtriuſque partis exercitus, quàm cōcedenda alterutri victoria. obſeruatū fuit in rerum penuria milites in Diuos, imo in Deum blaſphemias iecisse, qui contra Ducem ſuum ne quidem hiſcere auſi fuiſſent. occaſione verò abundantiæ alijs vitijs ſe mancipaſſe, ex ludo iacturam paſſos culpam ſuam impiè in Deum conieciſſe. Ventura ira quam Chriſti Domini Præcurſor peccatoribus minitabatur, niſi pœnitentiam agerent, non modò Phariſæos, ſed & Publi-

canos, ac Milites impulit, vt malo ſuo remedium quærerent, ſiue tranquillitati ſtatus ſui ſecuritatem. hanc vitę normam a Diuo Ioanne Milites acceperunt, ne quemquam concuterent, ne calumniam facerent, atq; vt ſtipendijs ſuis contenti eſſent. familiare militibus eſſe ſolet, rationibus clamores, obiurgationibus cõuicia, atque calumnias, comminationibus verbera opponere. & ſicuti inter arma ſilent leges; ſic macherophoros iſtos (veluti ſclopi diſploſionem, volucres pennatæ) Iuriſperiti, Clerici, atque omnes qui pacem amant, prudenter declinant. Exiguus, ſed laudabilis illorum militum numerus eſt, qui præcipitis iræ impetus ad pugnam contra Patriæ hoſtes, fortitudini præliari deſeruituros, ſeruant, & modico ſumptu, quem ex ſtipendio Principis colligunt, inter belli ſtrepitus beneuolentiam quandam erga omnes homines promiſcuam exercent. ſed pone, promiſſa militibus ſtipendia impediri: tunc ſicuti militum patientia, conſpicuos eos reddit (qua Religioſis antecellere videntur, qui ſaltem aliquid quotidie accipiunt ad meræ neceſſitatis remedium) ita illorum conditio deplo-

plo-

ploranda eſt, qui paupertatẽ æquanimiter non tolerant, neque in procurandis ſibi ad victum neceſſarijs, modum ſeruare nouerunt. illi qui pecunias ad perſoluenda militibus ſtipendia deſtinatas, in proprios vſus conuertunt, ſaltem diſsimulare coguntur aliquas militum rapinas, ſed non poſſunt omnes, ne totius populi odium incurrant, ac Principis ſui indignationem. Si permittitur militi ad ruſticum diuertere ideo eſt: vt à ſubdito (pro cuius ſecuritate bellum geritur) alimenta accipiat, quæ fortè propter exhauſtum Principis ærariũ, à Miniſtris Regni non accipit, non verò vt præter alimenta, pecuniam ad ludendum à Ruſtico extorqueat, toleratur: vt à viatore Miles ſubſidium aliquod poſtulet (ſiue tabacum vocitetur, ſiue quouis alio nomine) ſed non vt nudum dimittat. continget à Duce ſupremo in exceſſuum huiuſmodi reos grauiter animaduerti, qua re acerbè affecti tam nobiles, quàm plebei, infelicitatem ſtatus militaris deplorant, in quo paupertas intolerabilis eſt, & periculoſa abundantia. quis enim cum gladio medium ſeruet? à nobilibus (qui penuriæ cauſam in Principem non reij-

ciunt

ciunt propter reuerentiam, neque in miniſtros primarios, ob maioris mali timorem) frequens de auis ſuis querimonia auditur, quod inæqualiter diuiſa bona ſua poſteris reliquerint, vni ſoli ferè omnia dantes, qui primò quidem natus eſt, ſed nihil plus de auorum ſanguine, & fortè multo minus quàm iuniores, de illorum magnanimitate participat. quorum animus dolore perculſus, ferè frangitur, quando ab aliquibus inconſideratè ijs inſufflatur, non dominandi, neque amicos iuuandi cauſa, ſe a Principe conſcriptos milites eſſe, ſed Medicorum more, ad puri ſanguinis conſeruationem, veluti putridum humorem, per belli cauterium è regno, ſpecioſo titulo dimiſſos. Plebei nullo habito reſpectu tam Principem, quàm miniſtros eius primarios tanquam incommodorum exercitus cauſas carpunt, hoc ſolatium à nobilium conſortio accipientes, quod propter verba (quæ ab iracundo, ac ſtolido animo proficiſcuntur) nouam afflictionem iam afflictis addituri non ſint, illi nimirum quos verberantium aerem exploratores eſſe non decet, nec miſerorum accuſatores, in parentes ſuos,

qui

qui labore manuum ſuarum victitantes, tale otium ijs permiſerunt, vt artem aliquam non addiſcerent, quæ incuria, vt militiæ ſe dedere cogerentur, in cauſa fuit, grauiter inuehuntur, ſummoperè inuidentes infimi artificis fortunæ, qui cum paruo labore victum ſibi parat, vbi illi pro pretio exiguo, promiſſo quidem, ſed non perſoluto, mortis pericula ſubeunt, egentes, & fortè cum dedecore morituri, quia non norunt ſua ſeruare, neque alieno manum abſtinere. & ſi è prælio mutilati domum redeunt, præclarum ſanè lucrum conſecuti erunt, quod mendicantibus ignauia non exprobrabitur, quia membris orbati, artis inſtrumenta attrectare nequeunt, vt ad labores mittantur, ſed iuuandi obolo erunt, vel leniter dimittendi. Cicatrices mortiferorum vulnerum, quæ ſclopi, vel gladij ictus pugnantibus in prælio inflixit, dicent fortè obtrectatores ebrioſorum pœnæ ſigna eſſe, quorum lingua dentibus interclufa plecti nequiuit, quod nimium vinum ingeſſerit, vt temerè de præſentibus, crudeliter de mortuis effutiret, ſed illorum loquacitatem vindicatam fuiſſe, ſicuti calcitran-

trantes equos plectere ſolemus, quorum clunes fuſte cædi iubemus cum calce hominem petierunt, quia prudentis vir non eſt, eos calcibus repetere. cum vero impoſſibile ſit, bella perpetua in eadem regione durare, in qua oppidorum conflagrationes fiunt, Mercatorum tranſmigrationes, populorum occiſiones; Principes tandem, vel laſſati, vel victi, mediatores pacis expediunt, quæ regulariter per matrimonia concludi ſolet, vt per coniunctionem corporum aliquorum de ſanguine Principum, animi bellatorum facilius copulentur. quis crederet mediatores hos, Prouincias, Ciuitates, propugnacula diſpenſare, veluti placentas, quod cum ſine Principum conſenſu, Curſorum diligentia detecto, fieri nequeat: vix diſcerni poteſt illorum magnanimitas, An fortius Ciuitates hoſtium expugnauerint, an vero facilius illas, ijs ceſſerint. vnde liquet bellum non bellum eſſe, ſed potius horribile Dei flagellum certamina ludicra; Choreæ, ludi, ſymphoniæ, oſcula, pacis fœdera terminant. Nobilibus cicatrices pro præmio honoris remanent, maximè illæ, quæ in facie apparent. Si inter decem ta-

les

les viros, quinque ſolum brachia numerantur, & quinque pedes: dicetur illa membra in bello amiſſa eſſe (ad quod ignaui non procedunt) pro Patria, pro Principe, pro libertate, atque honorificentius pro Religione. & hæc omnia ad poſteros peruenient in marmore ſculpta, vel cum multis circunſtantiis præliorũ, Vrbium obſidionum, atque expugnationum, calamis illius temporis hiſtoricorum exarata. O vos omnes qui fortes in bello, iuſtè patriam tuemini, vel iniuſte ablatas ab hoſtibus terras, armis repetitis, vtilitatem lucri, atque honorem victoriæ Principi ceſſuri: cur pro Regno Dei (quod violenti rapiunt, ac ſuum faciunt) viriliter non dimicatis? modò in valle Terebinti Gigas proſtrandus non eſt; ſed qui ſeipſum vicerit ille triumphabit.

De Officio Iudicis.

CAPVT XIV.

PRæcipua Principis cura in hoc ſita eſt, ad ius adminiſtrandum in forenſibus cauſis, idoneas perſonas deputare.quibus authoritas quidem datur, ſententiam ferendi, ſed nulla omnino libertas gratificandi amicis, ſeu pauperibus ſubueniendi. Iudicem hominem Dei, qui peregrinum ſe eſſe meminit, non terrent minæ potentis,non faſcinat auri fulgor, neque decipit ſpecies mulieris, quando ius dicendum eſt;verum honeſtatem iuſtitiæ omnibus mundi bonis præponit paratus alioquin, ex miſericordia pauperis miſereri, ex pietate parentes venerari, ex obſeruantia perſonis in dignitate conſtitutis honorē exhibere. ad deliberandum de agibilibus, momenti plurimum facit timor damni futuri: quod non modò in actionibus vetitis videre eſt, quæ certam damnationem authoribus ſuis afferunt, niſi tempeſtiuè reſipiſcant, ſed in ipſis virtutis Chriſtianæ operibus, quorum(veluti altiſſimo monti præcipitium) im-

menſo

menſo lucro irreparabile damnum proximum eſt. non inuenies officiũ magis honorificum, quàm in procuranda ſalute animarum, laboris multum ſuſtinere. at qui certi ſunt, ſe ad propriam curandam animam teneri, dubij vero an ad proximorum ſalutem procurandam vocati ſint, ſollicitudine in primis ſuiipſius premuntur aduerſus propria peccata, dimicantes, ſed deuitantes aliena. vnde fit ampliſſimos Eccleſiæ prouentus, ab aliquibus negligi, qui coniuncta cum tanti damni periculo lucra æſtimant detrimenta. Iudex non quidem animarum curam ſuſcipit, ſed cæterorum honorum hominis: vt ſunt vita, honor, bona fortunæ, ſine quibus vel non ſumus, vel miſeri ſumus. excipe omnes illos, qui temporalia bona, perfectionis deſiderio incenſi, propter Deum, voluntariè à ſe abdicarunt: præſtaret egeno mori, quam paupertatem duram, impatienter, ac moleſtè tolerare. ad vitæ conſeruationem inſtinctu naturæ feruntur animalia: non mirum quod pro ſua laborat ſatelles qui ex neceſſario Reipublicæ munere vtilitatem reportat, honorem non curat. atque ille quidem ſine crimi-

ne abiectus eſt. plurimos reperias qui vitam ſine honore, morte turpiorem exiſtimant. honor quidem virtutis præmium eſt; ſed etiam eos qui authoritate pollent in honore habemus; authoritatem vero apud homines frequenter impetrant, qui vitijs quibuſdam ſibi potius quam Reipublicæ damnoſis laborant. qui inhabilem ad Iudicis officium promouit, fortè amicorum commendationi fidem habuit. & ſi damnum aliquod Reipublicæ, error miniſtri intulit: cum ex promouentis voluntate ortum non ſit, ſed ex incuria examinis: mitius iudicium de eo ferimus, quam de illo, qui rerum ignarus, auſus eſt ſuis viribus impar onus ſuſcipere. illam ſubſtantiam (ex qua familiæ viri illuſtris tota victus ratio pendet) in vnico inſtanti Iudicis ruditas aliquando iniuſtè diſſipauit. Et ſi ad Principem appellatum fuit, temporis diuturnitas (in qua victoriæ ſpes differebatur) conflictantem iudicijs denuo afflixit, quod ære alieno teneretur ad lites impenſam facere, qua ex prædijs ſibi iniuſtè ablatis, potuiſſet totius familiæ neceſſitatibus prouidere. grauiſſimi criminis reus eſt, qui perditionis animæ

homi-

hominis cauſa extitit: qua in re iudiciorum Dei abyſſus imperſcrutabilis, peccatorum temeritati objicitur, quod fortè minus nocens iuſtè damnatur, iniquior pœnitens ad ſalutem reuocatur. vnde diſcimus de miſericordia Dei non præſumere, quia alii grauius peccauerunt; Et ſi contingat nos grauiter delinquere, magis iram Dei timemus, videntes eos pœna plecti qui minori ſcelere ſe obſtrinxerunt. Innocentis interfector, minus quidem deliquit, quia vita corporalis animæ ſalute longè inferior eſt, tamen quia præſtantiſsimum hominis bonum iniuſtè abſtulit, ac Reipublicæ iniuriam intulit tali membro illam priuans quod ad ſeruitium illi præſtandum ad minus luſtrorum trium ſpatium requirit: videmus in homicidas grauiter animaduerti. ponamus ad forum non deduci quia occulta delicta ſunt: ab vtroque tamen peccatore, illatum proximo damnum irreparabile eſt; quis enim è gehenna quemquam extrahat? quis defunctum ad vitam reuocet? verum cum impoſsibilia Deus non præcipiat: ambo diuinæ Iuſtitiæ ſatisfaciunt, ſi contrito corde in futurorum cautela, præteritorum pec-

catorum recompenſationem, Deo honorem debitum reddentes, oſtenderint: ſi vero per iniquam ſententiã Iudex, graue intulerit damnum alicui in bonis fortunæ intulerit, cum in equiualenti illud reparari poſsit, ac debeat: quis non videt, in reddenda aliqua re difficultatem, cuius partem quis fortè minimam accepit, vel totam non cuſtodiuit? modò famæ amittendæ periculum in mentem veniet, modò conditionis honeſtæ depreſsio, ſiue corporis commodorum priuatio. quæ ſi hominis fidelis animum expugnare nequeunt, vt reſtitutionis incommodum improbet, ſaltem eiuſdem dilationem impetrant, qua à callido tentatore ad impoſsibilitatem quamdam deducitur, vt non poſſe ſe credat cum nolit. & quidem ſi immodicæ auri cupiditati, aliqualis iurium ignorantia coniuncta eſt, tam partibus, quam iudici maiora damna imminent, tum propter facilem à primo ad ſecundũ crimen tranſitum, tum propter ætatem Iudicis, quæ ob memoriam labilem ad dediſcendũ potius apta eſt, quam vt ſtudia complectatur. & valde timendum erit illum qui præuidet ſe impoſterum pauca collecturum,

quæ

quæ ſua eſſe valeant) non facile, redditurum aliena, quæ ſua eſſe amici, ac noti crediderunt. etſi minus forte peccatum Iudicis imperitia, aggrauat, quia voluntarium minuit, quam improbitas; ſanè æquale damnum patitur, qui cauſa cadit, ſi pro iuſto, Iudex ſententiam non pronunciauit, ſiue ignorauerit quod ſcire tenebatur, ſiue noluerit quod iuſtum ſciebat iudicare. turpius cadere Iudicem, qui ab auro corrumpitur, quàm ſi à ſpecie mulieris decipitur, quidam probabiliter dixere: quia debiliori aduerſario ſuccumbit; facilius tamen illi erit ex luxuriæ, quàm ex auaritiæ laqueis ſe expedire. in hoc par eſt ſpeciei mulieris potentia auri: quod cum illa ad voluptatem inuitet, hæc vtilitatem ad omnia pretio æſtimabilia promittat, ambæ, graue in homine deſiderium accendant; ſed maior ineſt occupandi' cordis humani auro vis. Gallo excepto, poſt veneream voluptatem, omnia animalia lugent. ex nummo creſcit amor nummi, ſicut quidam de aquis dixit quod quo plus potæ ſunt, eo magis ſitiantur. intemperans adoleſcentia imbecillè corpus ſenectuti tradit, quæ non ita a ra-

tione auerſa eſt, vt non videat ſenes armis grauari, amore vero obrui. mirabile quod quo minus viæ vetulis remanet, eo plus viatici congregent. morbos inauditos ſibi fingunt, quæ nonniſi per ſummi pretij medicamina curantur, ac famulatum infirmo nocte diuque aſſiſtentem. quorum poſſibilitas tantum fidei in illorum mentibus obtinuit: vt veluti amico ad ſe vocato omnia neceſſaria ad depellendos imaginarios corporis dolores præparent. pone duobus pedibus Iudicem claudicare: nimirum quod carnis voluptate irretitus ſit, atque auri cupiditate. hic, ſi a dura dæmonis ſeruitute emergere ſatagit, maiorem in reſtitutione alienæ pecuniæ difficultatem ſentiet, quam in dimiſſione meretriculæ. Timor enim paupertatis (quam infallibiliter expectat qui de proprio parum habet) innumerabiles fermè ſecum trahit corporis, atq; animæ afflictiones, ad quarum fugam magis natura procliuis eſt, quam ad ſectandas voluptates. quod pagano inopi accidit, vt pulchrum numen domi ſuæ non haberet, quia ille, artifici auri, vel argenti materiam ſubminiſtrare nequibat, artifex ne quidem lapidi

 ſine

ſine auri lucro formam dabat, hoc quotidie euenire videmus: vt apud pauperem ne quidem depicta mulier eſſe velit, vnde non mirum quod pecuniæ (quæ virtute ſua omnia corporis commoda, atque oblectamenta continet) tam vehemens inſit homini deſiderium; hæc enim Cererem, & Bacchum accerſit, ſine quibus friget Venus, niſi melius dicamus, quod ſine pecunia non venit, atque illa deficiente friget, & abit. exiſtimo raros fuiſſe huiuſmodi caſus inter fideles quod ſciens, & volens contra fas, Iudex quiſpiam ſententiam pronunciauerit, mulierculæ formoſæ lachrymis commotus, ſiue munere largiuſculo allectus. Iudicem quemdam (cuius patriam nominare non eſt opus) per annos plurimos diſpoſitis hinc inde ſuper menſam ſcriptis proceſſus, illi parti cauſam adiudicaſſe, quæ ſe iaciente teſſeras, plura puncta obtineret, fama vulgauit. non plures quam tres, durante officio ipſius, ab ipſo emanaſſe manifeſtè iniquas ſententias obſeruatum fuit, miſerente Deo innocentium ſuſpirijs, ne ſceleſti temeritate inuoluerentur. illum ego Iudicem in maximo periculo verſari

exiſtimo, qui contra potentem aliquem natura ad iram propenſum, ſententiam laturus eſt. Summam enim iniuriam Iudici infert qui minis ab ipſo extorquere præſumit, quod humanitate allectus nemini concedere poteſt, ſi rationi conſentaneum non eſt. Principis primarij negotijs præpoſitus, ad commendandam cauſam, quæ inter Dominum ſuum, ac pauperem quendam controuertebatur, ad Iudicem miſſus, toruo vultu, ac voce ſonora, ſtrepitu gladii in calcaria impingentis confuſa, Principis ſui rationes exaggerabat. cui hunc in modum Iudex reſpōdiſſe fertur. per famulum a pedibus Domini tui authoritate vocandus, vt coram eo controuerſiæ ſuæ difficultatem ediſſerem, gaudeo me viri nobilis viſitatione honorari, qui raro exemplo artem militarem Iuriſprudentiæ coniunxit. qua in re Principis tui iudicium maturum admiror, qui in aulicorum ſuorum electione tam pacis, quam belli temporibus proſpicere ſibi nouit: vt intra domicilij ſui limites, doctrinæ laurea donatus lycæum ſuum, miles campum Martis conſpicere videatur. illud quoque egregiam laudem parit: quod vbi

regi-

regiminis onus ad particularia quædam deſcendere Principem non permittit, ſaltem verſatum in negotio quod tractatur adhibet. niſi animi eius magnitudo mihi probè cognita eſſet (ad quam ſpectat ex heroicis actionibus orituram gloriam, frugalitati œconomicæ præponere) dubitarem de induſtria factum eſſe, quod huiuſmodi nobiles in familiam ſuam adſciſceret, quos varij generis obſequia ſibi exactè præſtituros cognouit. Scio, mihi cum tali viro negotium eſſe, qui vtilitatem Domini ſi non quærit, niſi ſit cum honore coniuncta, & qui domum reuerſus argumentorum pondera, quæ in hac cauſa contra Principem militare videntur, tam ſagaciter enucleabit: vt magnanimitas Domini (quem omnia ſua conſilia, atque actiones ad vnam iuſtitiam referre decet) pauperi, ſi potior iure eſt, cedere non erubeſcat. nuper aduerſarius Principis, qui negotii huius finem exoptat tamquam calamitatis ſuæ terminum, a natura non vulgari ingenio inſtructus, ſed iuris ignarus, conatus eſt quibuſdam motiuis ſuam cauſam corroborare. inter cætera, verò, vim lachrymarum profundens,

paupertatem ſuam allegabat,ac partis aduerſæ opulentiam. poterat hominem rudem ad iniquam commiſerationem flectere qui medium iuſtitiæ commutatiuæ (in qua rerum inter ſe æqualitate iuſtũ dimetimur) ſecundum geometricam proportionem conſideraſſet. tantum equidem Domino tuo fortunam largitam eſſe non me latet: vt ex adiudicata ei cauſa, menſæ ſuę accetarium comparare videatur, vbi pauper (qui eo a fortuna deiectus eſt: vt quod naturæ neceſſitas poſtulat, atque exigit requirat) victor, doloris ſui vulnus ſanare poſſet. ſed non ſecundum facultates litigatorum ius adminiſtrandũ eſt; nam ſi ditiores ſemper cauſa caderent prȩſtaret Principes damnũ, quam lucrum facere; ſemper enim qui damnum pateretur aduerſarium copia rei familiaris præiret. Aſſis ex quadrantibus, ex aſsibus denarius, aureus ex danarijs componitur: negligenda minuta a Principe nõ ſunt, ex quibus aurei conficiuntur, qui multiplicati, magnanimitati eius inſeruiunt, vt cum ſummo honore, pecuniæ contemptor, magnificentiſsimos ſumptus faciat. Iuſtitia, cui ego mndo ſeruio rerum æqualitatem

tatem exigit, atque omnino dandum eſſe Domino tuo iubet, quod iuſtum fuerit, etſi pauperrimus aduerſarius luctu contabeſceret. ſi vero ad pauperem pertinere leges decernant id de quo controuertitur: ipſe quidem miſeria oppreſſus leuabitur, Principis vero dignitati acceſſio quædam fiet, quod ſcriptis contendere cum eo dignatus ſit, quem poterat ſine armis ſolo metu incuſſo proſtrare. ſed iam mecum ipſe perpendo, viſitationem tuam honorem mihi attuliſſe (vberrimus enim eſſe poteſt conuerſationis viri nobilis ac ſapientis fructus) pauperis vero lachrymas moleſtiam; quis enim tam ferreus eſt, vt cum flentibus non ploret? Superuacaneam vero fuiſſe vtriuſq; commendationē niſi forte extraordinariam aliquam in cauſæ examine diligentiam poſtularent ambo; ſiue ſententiæ pronunciandæ tempus accelerari. quod ad examen attinet alteruter poterat id a me facile impetrare, qui nolens parti ſeruiuiſſet; ſententiam vero pauperi accelerare, perinde fere eſt, ac vitam illi adimere. cum enim ſpe vincendi paſcatur, ſi cauſa ceciderit, neceſſe eſt eum inedia conſumi. Principi vero hoc

præ-

præſtaret ſententiæ acceleratio, vt (qui nonniſi bene armatus, hoſtem ſuum aggreſſus eſt, & tecum ſtrenuè pugnantem deiecit, adeptus bellicæ fortitudinis laudem) dicatur cùm priuato, & quidem mendico homine leuibus quibuſdam argumentis armatus, congredi voluiſſe, ac ſi digna eſſet viro præſtantiſſimo, de pauperum calamitate reportanda victoria. dic mihi ſi parentem meum, in duras paupertatis anguſtias coniectum hic videremus, non pecuniam à me poſtulantem, ſed gratioſam in propria cauſa ſententiam: quid mihi ſuaderes, vt facerem parenti miſerrimo gratiſſimus filius? dices, vt reddam ſeni adoleſcens, quod iuuenis mihi infanti ac puero ex amore ſubminiſtrauit. Sed ponamus, in ſene hanc regnare ſiue pertinaciam, ſiue animi generoſitatem, vt malit potius extrema pati, quam aſſuetus mihi, atque extraneis largiri, a quoquā minimum accipere. dicet ſe in primis pro honore certare, lucrum ex victoria mihi hæredi deſtinare. Si quidquam momenti habet ad ſententiam pronunciandam conſanguinitas: hæc inter patrem, & filium arctiſsima eſt: ſi paupertas ſupponi-

mus

mus grauem eſſe, quia corporis incommodis mentis pertinacia acceſſit. ſi gratificari in ſimilibus vnquam licet benefactori, rarus in hoc genere, parentum merita conſequitur. Sanè mihi firmiter propoſui (etſi cum patre auus, ac tota gentilium turba me ſupplicaret in pronuncianda ſententia nil præter cauſæ iuſtitiam vnquam ſpectare. & quidem parenti ex filiali quadam confidentia iniuriam in Iudicem probum conijci affirmarem à quo illud petitur, quod negare nemini poteſt, niſi iniquus; Domino vero tuo, cum debita dignitatis ſuæ reuerentia referre non grauaberis, vt in quacumque re (quæ in poteſtate mea erit, ac libertate) experiri dignetur propriam in imperando authoritatem, ac famuli ſui in obtemperando promptiſſimam voluntatem. hic præpoſitus dubius hæſit, an ſtricto gladio, militis officio fungeretur? an vero duris verbis iudicis audaciam exagitaret? tandem infamiæ notam timens, ſi virum primarium inermem, in proprijs ædibus fuiſſet aggreſſus, acerba hæc aduerſus animi ſublimis conſtantiam protulit verba. Dominum ſuum ab ipſo non exigere rem alie-
nam

nam, more graſſatorum quibus pretioſa veſtis viatorum, ſeu pingue viaticum cauſa ſufficiens eſt, vt eos rebus ſuis ſpolient, timor accuſationis vt occidant: inter quos minus crudeles hoc beneficij loco reputant quod vitam dent quibus non adimāt. Ius Principis non eſſe huiuſmodi exploratum illum habere, ob conſumptam in ſtudijs in cauſæ huius examine operam: de honore illum potius, quam de pecunia contendere; vtilius pauperi ſore ſe a munificentiſsimo Principe vinci, quam ſalua ſubſtantia indignationem eius incurrere: ab ipſius liberalitate plura expectanda eſſe, quàm a Iudicis aliena diſpenſantis prodigalitate: aduerſus parentes imaginarios, ſiue pauperes crudelitatem exercere prauæ conſuetudinis notam eſſe, quod ſuo tempore illis debitus honor exhibitus non ſit, his non impenſum auxilium: pietatem quæ in mente concipientis latet, vel in verborum lenitate quieſcit, ſi facultas iuuandi adeſt, multum de phariſaica iuſtitia ſapere: notam omnibus eſse Domini ſui munificentiam: notam potentiam; illum nullius obſequio vnquam deuinctum fuiſſe quod paribus offi-

ciis

cijs non compenſauerit, vel ſup erauerit: honoris læſi vindictam, quæ puniri ſolet in priuatis, in magnatibus diſſimulari. poſt hanc acerbam orationem, Iudici fuſtes, vulnera, cædem minitatus eſt, & iam ad oſtiũ mox diſceſſurus peruenerat, quando reuocatus a Iudice (cuius animum minis expugnatum ſibi perſuadebat) hæc verba audiuit. dic Domino tuo, me ad iudicandum neque precibus, neque minis, neque muneribus adduci, ſed ſolius iuſtitiæ amore. Si ille excelſus eſt, nouerit ſe de inſontium oppreſſione excelſiori pœnas daturum: quod ſi apud hunc gratiam inuenerit, vniuerſæ terræ ſeruienti imperare Regem: interemptos a Tyrannis pro Chriſti fide Martyres Domini appellat, ac veneratur Eccleſia: quo hominem Dei peregrinū in patriæ cæleſtis poſſidendæ optimam ſpem addúcit, ſi potentum minas non timet, ſed ſtrenuè certat pro iuſtitia Dei. & præpoſitus quidem domum reuertitur, in Domini iracundi pectore non mediocre incendium excitaturus. Iudex homo Dei, in chriſtiana fortitudine infirmus, oſtij ſeras duplicare iubet, repagula ſolidiora ijs admouere. Famulis

mulis conuocatis, animi ſui perturbationem, & cauſam aperit, vigilantiam iniungit. tranſeuntes obſeruat: non omnibus pulſantibus fores aperiri ſinit. quidam illum negotio graui impediri pro reſpōſo referunt, alij leuiter ægrotare. deinde ad amicos res defertur, inter quos, nōnulli placandum eſſe Principem decernunt: alij ſuperſedendum negotio, donec ſciatur, an ſeruus mandatum Domini adimpleuerit, vel exceſſerit. maior pars recurſum ad Monarcham ſuadet, poſt Solis ortum, atque ante occaſum exeundum, & redeundum eſſe concludit. qui inter ſeruos fidelitatem ſuam per multos annos Domino ſuo probauit, hic iubetur alijs inuigilare, & cum quibus extra domum familiariter conuerſari ſoleant, diligenter inquirere. ſi contingat cum familiaribus Principis aliquem amicitia coniungi: curatur vt nihil ſiniſtri domi audiat, quod improuidus, ſeruis inimici referat: non tamen à ſeruitute dimittitur, ne ædium Domini latebras, ſiue deliberationis alicuius ſecretum detegat. ex tranſeuntibus qui ſclopum portat, ſuſpectus eſſe declaratur, niſi ſocium habeat, ſine quo ſatelles non ambulat.

lat. plures armatos prætorianos non eſſe ex hoc dignoſci poſſe ſignificatur, ſi ſub ignoto duce vna incedant. ad actionem inuitatus Iudex excuſat ſe propter indecentiam; ſi iret ad auſcultandas nugas, & negligeret Oratorij honeſtiſſimas delicias. inſcius quidam ſecreti, comitem illum ſibi ad Oratorium poſtulauit: cui ille nocturni aeris intemperiem ſibi ab aliquo tempore noxiam, pro cauſatione attulit. Sed longe acrior perturbatio animum eius inuaſit, quando renunciatum illi fuit, vnum ex domeſticis ſuis in domo Principis notum inſanè coniugis ſuæ ancillam amare. Plebicula amore correpta, modica ſupellect le matrimonij onera ſuſcipit. quid! ſi dotem offerrent amantibus ſeruis, ij qui dominum oderunt, vt vel famulus poſticum ijs aperiat, vel ancilla iuribus confuſis, pultarium inficiat? Solus timor hic ad concoquendum proprijs manibus cibum, dominam induxit, virum vero cellæ vinariæ curam ſuſcipere, & vigilias noctis ſuper domum ſuam cuſtodire. ſed fruſtra hominem vigilare expertus eſt, niſi Dominus cuſtodiret domum. noctu ad hauriendum vinum deſcenderat, cande-

lam

lam geſtans ne caderet, quando vel maximè illi cadendum fuiſſet. de plurimis ſollicitus, feneſtræ cuiuſdã in vini apotheca patentis non meminerat; per quam cominus petito, ſclopeti ictum non irritum intuliſſet puer. Confortamini Iudices, & vſq; ad mortem pro iuſtitia certate; nam qui puſillum, & magnum fecit Deus (cui æqualis cura de omnibus eſt) pro vobis inimicos veſtros expugnabit.

De Officio Aduocati.

CAPVT XV.

LEgum peritia inſignes, in faciendo maximo quæſtu, ac ſummi honoris gradu conſequendo non in vanum elaborant, atque a patrocinio ad ius dicendum facilè tranſeunt. & ſi Iudicis authoritas plus honoris, Aduocati munus minus periculi habebit. optabile clienti eſt, Iudicem ſuum tanta ſcientia præditum eſſe, vt propoſita ſibi a quolibet, cauſæ merita facilè diſcernat. damnoſa parti res eſt, ſi Iudex ab inſigni Aduocato propoſitam cõtrouerſiam ſoli iudicio viri innixus diri-

dirimat. Inter Sacerdotes, qui curam animarum ex officio non ſuſcepit, ſolius inhumanitatis notam incurret ſi pœnitentem ad confitendum peccata ſua non admiſerit; Parochus vero etiam iniuſtitiæ labe ſe coinquinabit, ſi ſubditum Sacramenta petentem reiecerit; ſic Aduocatum inhumanum dicimus, ſi patrocinium ſuum implorantem repulerit, Iudicem vero iniquum ſi abſq; acceptione perſonarum ius non adminiſtrauerit. fortè non abſurdè quis aſſerat, eandem ferè rationem rei gerendæ in cauſarum patrocinijs ſuſcipiendis habendam eſſe, ac ſi quis de matrimonio contrahendo deliberaret. Sanè paucos inter homines ingenuos reperias, qui defloratam mulierem (etſi illam peccaſſe pœnituiſſet) in vxorem ducerent: multo minus ſi ſub pallio honeſtatis Sacramenti, ſtatuiſſet iam nupta, ad alterum ſe conferre. honeſtas, ac nobiles fœminas ſine diuitijs in matrimoniū acceptas aliquando fuiſſe vel beneuolentiæ cauſa factum eſt, vel ad, conſeruandam ex vtroque parente familiæ Illuſtris ſeriem. non defuerunt qui deſponſantes ſibi opulentiſſimam de plebe notati ſunt, quod à

maio-

maiorum generoſitate degeneraſset; ipſi vero ex formidine paupertatis, ſe pauliſper de equo deſcendiſſe pro excuſatione attulerunt, ne cogerentur cum poſteris ſemper pedibus ambulare. quando ſufficiens diligentia de mulieris honeſtate facta eſt: adhuc res non ſine periculo eſt, vt vir ſe deceptum queratur, mulier ſe deprehenſam. & tunc ad prudentiam viri pertinet, diſſimulare quod remedio caret, ad pœnitentiam mulieris, tam præclarè vitam ſuam inſtituere; vt (ſi in arbitrio viri eſſet) omni virtutum genere ornatam talē pœnitentem potius duceret, quam ſuperbam, ac rerum inanium cupidam virginem. Pulchritudinem, atque honeſtatem cauſarum non diſcernimus: opulentiam in illis conſideramus, quæ Clienti victori magnæ vtilitati, Iuriſperitis vero emolumento non ſpernendo, futuræ ſint. Nobiles cauſæ dicuntur, quæ non contemptibilem aliquam, ſed honeſtiſsimam rem continent, vnde ſi quadrupes alicui damnum fecerit, vel maledicus iniuriam intulerit (etſi de beſtia, ac verbis contumelioſis nebulonis in proceſſu mentio faciēda ſit) honeſtum quidem erit, patro-

no à Iudice petere, vt Clienti ſuo damnum honoris, ac bonorum compenſari iubeat, nobilis vero cauſa non erit, ſicuti cum de feudo aliquo diſputatur, de confinijs Regni, de ſucceſsione ad Regni coronam. pulchritudo, atque honeſtas cauſæ iuſtitia eſt: quam, patronum ex ore Clientis haurire oportet; quiſque enim in re propria tuenda diſertus eſt. ſicuti ingenui, non aliam in matrimonium accipiunt, quam illam, quæ caſta ſit, vel ſaltem talis creditur: ſic patronus homo Dei, illam ſolùm cauſam ſuſcipit, quam iuſtam eſſe pro certo habet, vel probabiliter exiſtimat. in mulieribus animę pulchritudo ſine honeſtate eſſe nequit, neque ſine pietate. aliter de elegancia formæ dicendum eſt, etſi perperam quidam dixerint, non reperiri mulierem pulchram ſimul & pudicam. inter cauſas illa pia eſſe dicitur, quæ pauperum, atque Eccleſiæ iura continet, quæ cum ſummo emolumento à patrono ſuſcipitur, qui laboris ſui mercedem ab hominibus ingratis vix extorquet, ſed á Dei liberalitate amplisſimam recipit. Serui artificis mechanici vt plurimum opus ſuũ perficere, quamprimum

primum

primum curant, vt lucrum ex illo reportent.excipe illos qui certis anni temporibus pro toto ferè anno victum ſibi parant: ad honorem præfecti officinæ pertinere videtur, vt alicui opifici imperet, pro aliquo externo laboret, ferialibus diebus patentem officinam teneat. vnde fit vt paucis ad illam confluentibus, qui poſſent citius expediri, longius protrahantur, ne tranſeuntibus detur occaſio iudicandi artificem vel ignauum eſſe, vel decoctorem. interrogatus ab amico Medicus, cur ad audiendum preconem euangelicū non veniret? ipſe concionem illa hora haberi reſpondit, qua ſolent Medici ægrotos viſitare: poſſe ſibi magno detrimento eſſe à populo tali tempore videri, qui ſciens in vrbe plurimos ægrotare, diceret illum non vocari, quia medendi artem non callet, vel ſuo tempore non viſitare, ne citò ſanati induſtriam ſuam ad otium reducant. Chirurgus qui ſuo emplaſtro noxios è vulnere humores extraxit, crudelitatis notam incurrit ex auaritia emanantem, ſi ſtatim naturę locum non dat, vt ad cicatricem vulnus perducat. non tam ingratus infirmo Medicus eſt, qui ſine cauſa

re-

rediens, ſaltem vitæ inſtituendæ regulam conualeſcenti præſcribit, atq; humanitate ſua, nec dum vacuum moleſtia decumbentis animum, oblectat. Chirurgus vero ferro armatus illum viſitat quod ſine dolore corpori parum valido non applicat; ad perſonas quæ publica, ſiue præcipua ex priuatis, negotia tractant populum confluere moris eſt & fortaſſis aliqui in patientia exercētur coacti ſæpius redire pro vno negotio, quod poterat celerrimè confici. & quidem tam in ſcribendis, quàm in examinandis cauſæ rationibus, tempus notabile requiritur; non enim Angelorum miniſterio vtuntur Cliētes, ſiue hominum, quibus virtus miraculorum in promptu eſt. non ſtatim fabri murarij recenti parieti ſuperædificant, Lunationes obſeruat Phyſicus practicus: vt tempore opportuno potionem bibat ægrotus: Chirurgus vt purgati corporis venā ſecet. Iudex, ac Patronus ambo Clientibus ſeruiunt, ſed ſerui illorum neque eſſe, neque appellari volunt. opera à patrono cauſæ data, Clientibus vtilis eſt, ſed noxia præceps Iudicis ſententia. cauendum omnino eſt, ne Iudex ſe non benè inſtructum

de meritis cauſæ queri poſsit, neque patronus ſe anguſtia temporis coarctatum, non potuiſſe ſingula ponderare. Aleator qui maximam pecuniæ ſuæ partem ludendo diſsipauit, aduerſarium ſuum victorem ad producendum longius ludum ſollicitat; ſed ille honoris cauſa mallet à ludendo deſiſtere, non curans perturbati animi hominem ob *iacturæ præteritæ* memoriam, ac metum futuræ (cui in anguſto ſpes eſt) denuo contriſtare. ſi importunitate coactus id facit, volenti iniuriam non infert, qui non iniuſtè facultates ſuas prodegit, etſi ex alio capite deficiat. An ſic patrono, clienti obſequi liceat, quæſitum fuit? captioſi tamdiu appellare a Iudicum inferiorum ſententia decreuerunt, donec ad ſupremum Principis tribunal cauſa illorum deducta ſit; hic patronus à ſe monitis, vt à litigando deſiſtant iniurius non eſt, ſi importunis precibus, infirmis innixi fundamentis eum in iure ſcribere cogant. vbi res non tam clara eſt; ſed ipſe ad alterutram partem vehementer inclinat, poteſt humiliter de ſe ſentire, vt non veluti oraculum quoddam ſententiam propriam venditet: fortè Iudici illa non probabi-

tur.

tur, atque ipſe quidem iuxta conſcientiæ dictamen induſtriam ſuam exercebit: Iudex autem à iuſtitia non aberrabit. eadem ferè animi moderatio in patrono deſideratur, quàm in Iudice laudauimus: nimirũ vt non timeat pauperum cauſas ſuſcipere, quorum aduerſarij potentia valent. diſsimilis tamen Iudicis, ac patroni conditio eſt; quod ille maius diſcrimen ſubeat, ſi muneribus, vel ſpecie mulieris allicitur; quia rem ab ipſo poſtulantes, maiori conatu illum adoriuntur. à patrono vero ſolà verba, vel ſcripta diligenter enucleata expectant, poſt quæ ſæpenumerò cauſa cadunt, quia iudici, partis aduerſæ rationes magis arrident. Sic patrocinamini actores cauſarum Clientibus apud homines: vt pro vobis aduocatus homo Deus interpellet apud Deum.

* *
*

De Officio Medici.

CAPVT XVI.

Contra inuidos, atque artis medicinalis imperitos (qui inultos homicidas Medicos appellant) in ſui defenſionem hoc ſcutum ab ijs arreptum eſſe, fama vulgauit: vt vocati ab ægrotis, quemlibet corporis dolorem ex morbo exitiali prouenire pronunciarent, præclaram quãdam curam facturi, ſi vehementi morbo laboranti, remedium attulerint, immeritò repræhẽdendi, ſi quis illorum curæ commiſſus extinguitur: cum morbos plurimos incurabiles eſſe, mors diuitum (quibus medicamina pretioſiſſima non deſunt) maniſeſtè demonſtret. exiſtimo magis Reipublicæ obeſſe illos Medicos, qui ad leniendum decumbentis mœrorem malum illius ita extenuant: vt cibo leui, ac diæta, non pharmaco indigere videatur, promittentes graui morbo affecto, non modò vitã diuturnam, ſed breuis moræ moleſtiam. quorum votis ſi optatus ab infirmo exitus non reſpondet, grauis patienti excuſatio Medici eſt, mole-

ſta

ſta Medico conſolatori, miniſtrorum accuſatio. deplorandum quod (cum gratiſſimus captiuo nuncius ſit, qui illum è carcere in vaſtiorem exilij locum educendum annunciat) Medicus, dexteritate quadam ægrotantis animum à permanentis domicilij ſpe paulisper auertere cogatur, cum vix inueniat hominem qui principium amet ab omnibus deſideratæ ęternitatis, quæ non habebit finem. pomi ſuauis ad veſcendum, ſeu potius mali noxialis amaritudinem, Patres noſtri dolentes prægustauerunt: quid mirum ſi ex eodem patre progenitorum dentes obſtupeſcant? ad ſæcula aliqua, vita priſcorum protracta eſt, nos ad ſæculum non pertingimus, ſed calamitati illorum inuidemus. antiquorum frugalitas coacervationem ſaporum peſtiferam, & condimenta pernicioſa eſſe affirmauit: medicamina pauca, atque illa ſimplicia corporibus adhibuit, viuendi modum, & regulam ſeruauit: neque tamen Altiſſimi ſententiam euaſit. modò immoderata victus ratio longitudinem dierum non promittit, nec compoſita ex plurimorum ſimplicium mixtione potio medicinalis perfectam ſanitatem; quantò magis

attentos nos eſſe oportet ad id quod de ore Apoſtoli nobis Deus intonuit, quia ſtatutum eſt hominibus ſemel mori: beſtia morbo laborans, herbam ſuam non fruſtra quærit, nam ab ea inuenta ſanatur. Homo languidus Medicum conſulit, qui facilè illi aliquid præſcribit: ſed non tam certa eſt artis humanæ, quam inſtinctus naturæ medicina. Artifices operis ſpeciem deformant, & formæ alicuius iacturam non curant, vt opus perfectum omniū oculis exhibeant. Medici periculis noſtris diſcunt, experimenta per mortes agunt, diuidunt cadauera, vt ſeruent corpora viuorum integra: nemini vero nocent, niſi ijs quibus volunt prodeſſe. propterea prudenter ſeniores in arte medicinæ eligimus, non propter canitiem ſiue rugas, ſed quia multarum rerum vſu apprimè docti, non addiſcendi, ſed medendi cauſa ad nos veniunt. Miniſterio Sacerdotum non abſurdè Medicorum curam quis aſſimilet, quod ſicuti optimè curantur a Sacerdotibus, qui peccatorum ſuorum morbos detegunt, ſic qui ægritudinis ſuæ cauſam Medicis ſincerè aperiunt, cum hoc tamen diſcrimine, quod obliuio quæ affectata non

eſt, pœnitentibus detrimentum nullum afferat, ſed ſalutifero Sacramẽti pœnitentiæ remedio quælibet mala Sacerdotes curant; Medici verò ſolum illa, quæ cognoſcunt, & non omnia, cum remedio careant quod poſſit omnibus malis prodeſſe. qui proſpera valetudine vtitur in carcere, non deſinit eſſe miſer, etſi ille (cui carcer noſocomium factus eſt) ſit ſano homine infelicior. quocumque proficiſcimur exules ſumus; ſed pone, nos corporis infirmitatem aliquam contrahere, quam non cognoſcimus, quia cauſam eius particularem ignoramus: quomodo curabit eam Medicus, qui certo morbo ſalutifera remedia ahibere nouit, ſed non ſemper morbum depellere. omnibus hiſce malis expoſitus eſt, qui corporis infirmitate laborat: vt morbum ſuum vel non noſcat, vel non bene explicet: vt Medicus illum non bene percipiat [illegible] de ſalubritate alicuius remedij dubitet, vel de violento timeat. adde his, quod Pharmacopola, præſcripta quidem a Medico remedia ægroto mittit, ſed fortè ex talibus herbis, atque aromatibus compoſita, quæ ob diuturnitatem temporis quo in officinæ ollis,

ſiue pyxidibus delituerunt, omnem ferè virtutem ſuam perdiderunt. accidit adoleſcentem quendam aromatopolij diutius in platea, cum amico confabulatum fuiſſe, cum illi venit in mentem, horam inſtare, qua infirmus aliquis, medicinam haurire iuſſus erat. quapropter celerrime domum reuerſus, dum horam à Medico præſcriptam ſeruare vult, præcipitanter ampullam Bertæ deſtinatam arripit, ac Titio defert. ad alterum ęgrotum optimè præparatam, ac propriam medicinam tulit, ſed cuſtos illi expreſsè datus, vt ſomnum impediret, grauiter cum Domino ſuo obdormiuit. Medicus quidam homo Dei, amiciſſimum ſuum ægrotantem ſic affatus eſt. mortalis mortalem in auxilium vocat, nō vt mortem effugiat; ſed vt vitam pauliſper protrahat. animæ humanæ dignitas eſt, non immerſam corpori iacere, vti brutorum, ac plantarum formæ (quæ ſoluta vnione prorſus intereunt) ſed per ſeipſam ſubſiſtere, etiam à corpore ſeparatam. ſic in ſchola Chriſti inſtituti ſumus. qui aliter ſentiunt Epicuri de grege ſūt, qui nihil præſtantius brutorum gaudio, ad felicitatem humanam contulit.

tulit. Immortalitas primo, homini data fuit, qui ad poſteros illam tranſmiſiſſet niſi mandatum Dei tranſgreſſus fuiſſet. quid mirum ſi mori nos oportet, qui natura mortales ſumus, & iuſtitiam non ſeruauimus, quæ poterat nos à morte liberare, neque temperantiam, quæ ad vltimam ſenectutem perducere? vt certitudinem mortis (poſt quam Iudicium, & poſt hoc, operum pœna vel præmium) attentè conſideremus, tantam vitæ incertitudinem nos habere voluit Deus: vt neque ſeni adoleſcens, neque decumbenti infirmo aſſiſtens robuſtus, ſe ob ætatem, atque infirmitatem, languidis ſuperfuturos affirmare audeant. Eruditorũ medica ſcientia (qui curæ meę regulam vel approbent, vel corrigant) conſilium non recuſo. Scio vtplurimum Medico familiari delatum fuiſſe, vt patienti medicinam præſcriberet. & ſi de qualitate morbi, vel de remedij opportunitate orta, ac ducta controuerſia fuit, adhærentibus parti Medicorũ conſanguineis, nihil profuit ægrotanti altercatio, cum aliqui iuuare illum non auderent, alij bona fide remedium aliquod ſuggerentibus inuiderent. quod

omnium calculis, ægroto profuturũ credebatur, vidi ex hoc illum deterius habuiſſe. tam infirma eſt hominum ſapientia, aduerſus iudicia Dei! putas ne ſeruum, vel muneribus allectum, vel minis territum Domino ſuo febricitanti hauſtum aquæ denegaturum? ipſimet propinqui nõ omnes patiuntur vt ardenter ſitiens potus delectatione careat; ſed dum clamanti pro refrigerio complacent, non ſufferentes eum moleſtiam pati, in quiete defuncti, inordinati amoris acerbitatem experiuntur. Si perturbatus animus ad exequendum munus ſuum aptus non eſt, a ſe ipſo defeciſſe videtur, qui præcipua ſua negotia ad extremos vitę dies ſeruat, quibus ingraueſcente morbo, corporis dolores, rationis lumini tam denſas tenebras offundunt. Vidimus eos, qui cum laude maxima imperia geſſerunt, tempore morbi exitialis, cauſæ propriæ ferè oblitos fuiſſe. duo ſunt quæ animũ hominis vehementer diſcruciant: nimirum quibus, terrena bona relinquat. quomodo cæleſtia acquirat. vir prudens tempeſtiuè de temporalibus bonis diſponit, quia ſcit, Tabellionis Inſtrumento addere ſe poſſe quod po-

ſtea.

ſtea voluerit, vel ſublato toto nouū formare. vbi verò de ſalute æterna agitur, infra paucorum dierum ſpatium illam comprehendere ſaltem ſtudet, dum rationis compos eſt, quam per totius vitæ ſuæ periodum, rerum piarum meditationi dicatam, vix dignè ſe procuraſſe, plerique homines Dei in hac peregrinatione gementes, faſſi ſunt. amici, Medicum ad ægrotantem vocant, quia dixit ſe malè valere, nec dubitant eum velle ſanum fieri. Sacerdotem vocare non audent, ne videantur eū peccato obnoxium declarare: non Tabellionem, ne de pecuniæ auiditate eos arguat, ſeu de ſalute corporali deſperet, ſi crederet ſe monitum ad diſpoſitionem ſubſtantiæ, aliàs ab inteſtato moriturum. indecorum imprimis eſt à Domino excelſo ſeruum vilem vocatum non iuiſſe dum poſſet, volentem verò Dominum illum in lectulo decumbentem viſitare, nolle tunc ſeruum. dices, viſitationem hanc, mortem infirmo portendere, ita eſt, ſi indignus digniſſimum hoſpitem ſuſciperet. verùm ſi ſeipsū probauerit, mortem ab ipſa vita non timeat, quæ corporis humani reſolutionem pro ſomno haberi iu-

bet. popularis error eſt, actum eſſe de vita hominis quando oleo ſacro inungitur, cum extremæ vnctionis Sacramentum, ſanitatem corporalem homini conferat, ſi animæ ſaluti expediat. quis verò tam demens eſt: vt quando ei diutius viuere non expedit, ſaltem ex naturæ debito virtutis meritum ſibi acquirere non ſtudeat? omnem artis meæ induſtriam in cura tui libenter collocabo, nil intentatum relinquam: humorem noxium expellam, corroborabo naturam, faciam vt ligni ſuccus medicabilis inteſtinum tumorem compeſcat: vt cucurbitula ſanguinem leuet: clyſter duritiam corporis frāgat. conciliabo tibi ſomnum leuem vt quieſcas, fugabo arctum, vt caput lethargi conteram. enitar omnibus tum corporis, tum animæ viribus, vt conualeſcas; ſed quia ferrum in manu fabri conteritur, ſolum relictum, à rubigine conſumitur; in manu Medici, vitam incertam ducere diſcimus, abſque Medico, mortem tamen expectare. hęc homo Dei peregrinus, ad deficientis in via peregrinationis ſocij vtilitatem ſi non ad voluntatem verba protulit, Sacerdoti parans auditorem, non dicam Medicis

dicis vt curent ſe ipſos, quoniam vetitum illis eſt ſeipſos curare, ſi de cura corporis infirmi, ſermo eſt. vnuſquiſque ſeipſum optimè curat qui legi Diuinæ in iјs quæ omnibus communia ſunt promptè obtemperat, ac munere ſtatui ſuo congruenti præclarè perfungitur. Tria ſunt quæ à Medico potiſſimum requirimus: nimirum vt tutè, vt citò, vt iucundè languidos curet; ex quibus fiet, vt temeritatis, atque auaritiæ notam non incurrat, neque concurrentes, viſitantis, atque iacentis, turbidi animi, corpus illud magis torqueant, pro quo ſanando ille venerat, hic, medicinæ gnari auxilium implorauerat. vtinam per ſomnium imaginaremur quemlibet corporis dolorem, hilaritatem ex animo hominis pellere, incerta remedia, certo malo quamprimum adhiberi, oblato, illa præſcribenti phyſico, ſplendido, honorario, perſoluto Pharmacopolæ, iuſto medicaminum, pretio; animæ verò vulnera, riſum inſanorum non compeſcere: differri cum tanto periculo, certiſſima illorum, atq; vltrò à Sacerdotibus oblata, etiam rerum omnium egenis, remedia!

De Officio Mercatoris.

CAPVT VII.

IN ijs, quæ ad commodum Reipublicæ pertinent, præclarè ſuam operam Mercatores conſumunt: qui moribus, ac locorum interuallis, longè diſſitas nationes reciproco cōmercio ita coniungunt: vt ſaltem lucri glutine illorum animi cohæreſcant, qui de fide, ac religione acerrimè diſputantes numquam conuenerunt. ſi benè rem inſpiciamus: qui iuxta conſuetudinem à faſtu mundano introductam, hominem conuiuio excipere decreuit, vel veſtes pretioſas nudo corpori à ſummis ad ima adaptare, omnium ferè nationum merces, emptori ſplendido, afferent Mercatores, vt lautum appareat omnibus conuiuium, vt in peregrinum modum (veluti certantibus inter ſe, natura, atque arte de proemio laudis) formatum, atque ornatum corporis indumentum. nimirum à Batauis induſium accipit, ab Hiſpanis veſtem pretioſam ex lana, ab Italis ex ſerico, à Moſcouitis pileum Caſtoreum, à Leodienſibus arma. pariſ

adhuc

adhuc feciſſe videntur, niſi ſic veſtitum, auium ritu plumantem oculis omnium exhibeant; Monilia enim, murenulę, & margaritæ, fœminarum ornamenta ſunt, induamus illum veſte cœnatoria, ne forenſi, vinaſiæ intinctus ferculorum maculam aſpergant. videbimus multo plura à faſtu, atque gula adinuenta fuiſſe ciborum condimenta, quæ tendunt ad deſtructionem naturæ, quam in ſui tutelam arma excogitauit humana prudentia. Mercator, omnes has merces emit vt vendat: vt ſibi vtilitatem, nemini damnum inferat; nam vendit merces ſuas volentibus emere. vtenſilia moderatè ſumpta, ad vitæ conſeruationem conferunt, atq; ad honeſtam delectationem. aliæ merces in compoſitionem pharmaci veniunt quo ſanentur infirmi, vel ſani, ſe contra noxia præmuniant. ex lino, lana, ſerico, goſſipio ſimplicibus, ſiue auro, argento, ac varijs coloribus intextis, artifex per mercatorem, cuilibet hominum conditioni materiam ſubminiſtrat: vt in veſtibus ſtatus ſui decorem ſeruet. Sacerdos verò ab eo Altarium ornamenta accipit, quorum pretio, feſtorum dierum ſolemnitatem, coloribus Sanctorum

ctorum ſtatum, ac merita populo indicat. quod zelo ſalutis animarum incenſi, vaſtiſſimas regiones peragrent viri religioſi, ac maria traſeant: mirum non eſt; nam honeſtas muneris (quod Dominus ipſe ſuſcipere dignatus eſt) allicit ſeruos; neque diſpendium vllum timent, qui maxima lucra faciunt, hoc ipſo, quod omnia bona terræ pro Deo contemnant. hominem verò propter modicum vitæ corruptibilis ſubſidium, tot pericula ſubire: immodicæ cupiditatis indicium eſſe videtur, niſi ad magnificum quoddam opus labores ſuos, atque impenſas ordinauerit. coniugatum, à domo ſua, ob priuata negotia tamdiu abeſſe non decet. qui vero vnus eſt, & ſecundum non habet, non filium, non fratrem, Cui laborat? per permutationes, viatorum neceſſitatibus opportunè mercatorū amicitia proſpicit: vt ſi in latrones incidant, vix præter cartam quidquā apud eos inueniant. iactura paucorum denariorum viatori grauis non non eſt: Syngrapha pecuniæ tranſmiſſæ graſſatori inutilis. malè ſibi conſuluit, qui tam parcè crumenam ſuam nummis impleuit, vt ad iracundiam latronem prouocaret, qui ſola

aua-

auaritia paulò ante laborabat. quæ res in cauſa fuit, vt veſtem amiſerit viator, ac pellem læſam ad hoſpitium detulerit, qui mediocri impenſa, iniuſtam vexam redemiſſet. negotia hæc tam honorifica, quæ ſolo calamo in carta peraguntur, plerique nobilitati annectere voluerunt: itaut mercatoribus maximo ornamento ſint, ſi ad ſtateras, atque vlnas à permutationibus non tranſeant: nobilibus verò nullo dedecori, qui otij periculis, honeſti negotii occupationem expenſis grauibus (ad quas familiæ honeſtas obligat, mundi vanitas ferè cogit) iuſti lucri commoda opponunt. peregrinum nobilem Romipetam, non ex deuotione, ſed ex neceſſitate haſtile peregrinatorium geſtantem, quia pretioſus parum habenti equus meritorius eſt, cum caritate, ſed ſubridens excipit Italia. Sub religioſo, ſeu clericali habitu (qui ruſticum nobilitare valet honeſtiſsimè vir nobilis deliteſcit, à quo non fruſtrà aliquid expectamus quod à maioribus ſuis didicit. ſi à Principe ſuo deficiunt populi: tutus a nobilibus Princeps eſt. nunquam in foro videmus ſcurram ex nobili proſapia oriundum, rarò domi. poſt viſus orbatio-

bationem humiliatus Sampſon, ceſſit tempori, ludens coram Philiſtæis, ſed memor præteritorum, quod populi Iſraelitici dux, toties illos deuiciſſet, vires priſtinas à Deo petijt, atque impetrauit, non curans obrui cum ijs, à quibus poterat deludi. prudentiſsimus mercator eſt, qui in approbato à ſapientiſsimis viris negotio, lucrum quærit, non verò in illis, quibus ſubtiliſsimæ quædam rationes, probabilitatem aliquam afferre videntur, quod de illicitis contractibus vſuras redolentibus non ſapiant. pericula illa ſubire non recuſat, in quæ à tempeſtate maris, inſidorum, ac decoctorum amicitia, latronum incurſibus cuiuslibet negociatoris ſubſtantia; neceſſariò adducitur. offenſæ verò diuinę periculum non ſubit, in quo iniuſti iuſtè pereunt. nemo difficilius rem alienam reſtituit, quam qui paulatim illam congeſsit; ratò videbimus patrem liberalem, qui proprio labore opes acquiſiuit: filium verò ſæpiſsimè prodigum, quia pecuniæ lucrandæ difficultatem non ſenſit. an quia contrariorum eadem cauſa non eſt: vt qui congregare aſſueuit, diſperdere valeat? viſi ſunt ex induſtria ſua diuites facti mer-

mercatores, vix corpori ſuo neceſſaria ſubminiſtrare, non conſiderantes hæredes illorum quotidiè fore ſplendido amicos ſuos, conuiuio excepturos. O auri ſacra fames! quod maturè ponderandum à negotiatore eſt, ne illicitis negocijs ſeſe immiſceat. ſi enim modicum quid ſibi negat auarus, quod honeſtas conditionis exigit: quomodo aliis multa dabit, quæ tamquam propria diu detinuit? parum petitur à negociatore, vt non minorem in ſalute æterna procuranda vigilantiam collocet, quam in corradenda pecunia. ſed ſi anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam: quomodo cum ſarcinis auro plenis, diuites hanc introibunt? æquiuoci, Camelus, per foramen acus tranſeuntis, ſimilitudo arridet. nam ſi de beſtia intelligatur, quæ gibboſa eſt, & pondere grauis, cum omnia Deo poſsibilia ſint, intrabit ad nutum Creatoris; ſi verò de fune craſsiſsima nauis, illa ſanè diuiſa in partes, iuxta captum noſtrũ introibit in foramen acus. nimirum, mercator qui diuitias ſuas pauperibus diſtribuere nouit, quæſtus maximos laudabiliter facit. & ſi illi qui maximè auaritiæ infamia flagrant,

ex centenario lucrum ſe centenarij reportare contenti ſunt: quid mirum ſi peregrinus homo Dei, in qualicumque temporali Dei benedictione lætatur, ſed magis in futurorum bonorum ſpe?

De Officio Agricolæ.

CAPVT XVIII.

MOderatus pecuniæ amor, nullã conditionem dedecet. Sub diuerſis verò nominibus pecunia latere permittitur, vt perſonarum dignitati ſuus honor ſit, quarum manus nimia metalli contrectatione inquinari quodammodo videntur. Sacerdos pecuniam eleemoſynam, ſeu decimam vocat, Princeps tributum, Iudex ſportellam, Miles ſtipendium, Seruus ſalarium, Peregrinus viaticũ, Nauta naulum, Agricola mercedem. in reî veritate omnes pecunia indigent; & ſi quis eſt qui benefactori ſuo in ſpecie metalli, gratitudinem exhibere non audet: obſeruabit quare vt plurimum indigeat, qua delectetur, ac ſimilium oblatione, ſibi grati animi honorem acquirere ſtudebit, à benefactore vilitatẽ pecuniæ auertere.

 tere.

tere. lepidè quidam patrono ſuo cartis inuolutos aureos duplices aliquot obtulit, dicens ſe alterius ſpeciei donum non elegiſſe, quod Domino ſuo eſſet inutile ſi acciperet, indecorum ſi venderet. poſtmodum abſque inuolucro aurei, vel argentei nummi reiecti non fuerunt, ita tamen, vt ſub ſtrenæ nomine, ſoli ſerui illos acciperent, honeſtiores ſub latitudine nominum, amplioribus muneribus gauderent, magnates, metallum non tangerent. qui promittit alicui tibialia ſerica, ſiue veſtem holoſericam, facilè intelligitur, quanti æſtimet obſequium, quod poſtulat. ſi verò par chyrothecarum, iam dubius hæret auditor, qui vilipenderet pretium manicæ, niſi ſub illo vocabulo munifici, ſæpè totius perſonæ ornamentum intellexiſſent, picturam inſignis artificis, vel ſtatuam, equos generoſos quadrigis aptos. viri nobiles artium liberalium grammaticæ, atque arithmeticæ ſubſidio inſtructi, litteris pragmaticalibus lucra aliqua facere non dedignantur. Sed hæc præciſè, ex artibus non proueniunt, verùm ex aliis litteris, quæ fundatæ in eorum poſſeſſionibus, fidei conciliatrices, amicorum expectationem

nem explent. ad cautelam, contra ludibria fortunæ (quæ virum potentem eo aliquando detruſit, vt caruiſſet ijs quæ viuendi neceſsitas poſtulat, niſi artis induſtria ea ſibi comparaſset) nobiles opulenti, artium liberalium, imo etiam mechanicarum ſtudia complexi ſunt. quid fecißet Corinthi Dionyſius Tyrannus, niſi litteras didiciſset, quas exigui lucri ſpe, rerum omnium egenus, pueros perdoceret. anguſtia rei familiaris, Euſtachium ſtrenuum militum magiſtrum eo deiecit, vt in regione longinqua villicum agere coactus fuerit; quod genus ſeruitutis miſerrimum eſt, cum ſic ſeruientes imprimis teneantur Domino ſuo ſatiſfacere, deinde duritiem terræ frangere, ac beſtiarum ferociam coercere. etſi plus virtuti attribuendum in hoc caſu ſit, quod Dux nobilis homini plebeo morem gereret, corpus aſsuetum delicijs in vili miniſterio deſudaret, equi edocti aſcenſor iugo reluctantem bouem domaret; tamen ingenio, atque arti aliquid dandum eſt, quod ad maiora natus vir, merebatur in grauiori negotio collocare. de duobus Equitibus Romanis primariis Vrbis, fama vulgauit, ar-

tem Medi ſtini in aula Chriſtianiſsimi Regis exercuiſſe, neque ſic indolem ſuam tegere potuiſſe. quod ipſum, veritatem facti reuelantibus,& cauſam, vtiliſsimum fuiſſe dicitur. Sæpè videmus, viros primarios non ſolum muſicę concentum libenter audire, ſed & modulatè canere, ac pſallere; contra dignitatis Cæſareæ decorem, Neronem feciſſe; communis ſententia eſt, quando in theatro non modo ſpectator eſſe voluit, ſed actor, & cantor. Iucundum Chriſtianis eſt, habuiſſe Imperatorem,qui à ſeriis Imperii negotiis, aliquantiſper digreſſus,quando ei licitũ fuiſſet, armis feras inſectari, tunc calamum apprehendit in honorem Dei decantandas aliquas ſymphonias exarans, quæ in hunc vſque diem conſeruatæ eo præſtantiores habentur, quo peritis in arte, magis liberum eſt, de ſuauitatis illarum veritate pronunciare. Vniuerſalis regula eſt, viros nobiles,ex nulla arte, extra catra caſum neceſsitatis queſtum facere, ex aliqua delectationem capere, ex alia contra otium peſtiferum,non damnandam aliquam occupationem. Mercatorum prima cura eſt, ex negotio lucrũ reportare. hinc eſt,quod

ad

ad Reipublicæ adminiſtrationem mi. nus idonei à pleriſque iudicati ſint, quod ex proprii commodi curis acquiſito habitu, facilius ſibi, quam Reipublicę rationibus conſulturos eos putarent. Scopus quo intenduntur cogitationes nobilium, honor eſt,non ille quem in lapide tranſeuntium oculis obiecto, expreſsit lyturgus, ſed qui, ſine vllo artificio, manſiſſet diu in hominum memoria,propter honorificam mentionem,quam de iis qui virtute excelluerunt, apud filios ſuos,parentes, Aui apud Nepotes, aſsiduè eos ad exempli imitationem ſtimulantes faciunt. Vnica inter artes Agricultura eſt, quæ homini libero, ac nobili delectationem affert, atque vtilitatem ſine vllo diſpendio honoris. antiquitus ipſorum manibus Imperatorum colebantur agri, gaudente terra vomere laureato, & triumphali Aratore. non longe ab aratro gladium reponit Iberus, ac ſi duplex obſequium, quod nobiles Reipublicę præſtant, viatori explicaret; vomere namque fit,vt terra fructibus gaudeat, gladio,ne illos hoſtis poſsidenti eripiat. exactiſsimi inſignium obſeruatores (quando aliquis ſacræ militiæ Hieroſolymitanæ

adſcri-

adſcribendus eſt) viſo in nobilium manibus cultello inſit uo, ſiue abſciſſo, tempore putationis, ab arbore ſurculo: diſſimulant ruſticari eos, qui otium fugiunt, donec negotium nobilitatis proprium ſuſcipiant; ſed non tam libenter vident ventrale, quod ſuperintendens operarijs ſuis nobilis geſtat, quaſi vnus ex illis, hac leui excuſatione ſuffultus ne ſi in veſte forenſi quiſpiam officinæ ſigna deprehenderet, ſuſpicetur illum operi manum adhibuiſſe, qui ſolam exhibuit operarijs ſuis præſentiam. qui fruges terræ ſuæ honeſto pretio vendit, pecuniam quidem in primis recipit, ſed illam non amat vt ſeruet, verum vt cæteris corpori neceſſarijs ſibi comparandis illa ſeruiat. quo omnia bona terræ, ſe a Deo accepiſſe fatetur. non ita agricultura hominibus modò arridet, vt graues in ea corporis labores ſuſcipiant, Romani antiqui idipſum faciebant ruri, quod abſentibus præſentes in Vrbe præcipiebant. mercenarij laboribus aſſueſcunt, ac cælo auſtero. Sol, radijs ſuis ruſticum vrit, ac denigrat, ſed febre non iugulat. non aſſuetum ſubvrbana tam frequenter perluſtrare virum æſtu ſuo percutiens Sol. Iudith

viduam effecit. Territorij Romani Lunam, plurimos pupillos facere, quod parentibus eorum nocturna Cœli intemperie necem afferat, inueterata in animis Romanorum opinio eſt. adeout pauci in ſuburbanis pernoctare audeant, niſi fortè in loco eminenti, Aquilo noxij Cœli ſpiritus diſſipet, ſiue in valle extructus ignis ingens illos conſumat. boui trituranti ſi os alligaueris ſeruabis quidem frumentum, ſed piger ambulabit bos, & fortè pluuia Cœli centuplo plus tibi damni allatura eſt, quàm ſi ad ſaturitatem dediſſes beſtię frumentum. Villici tui animam ſerua: nam corporis ſui, ac ſuorum curam habet; & ſi illi non dederis, quantum neceſſitas eius requirit, tanta dexteritate tibi rem tuam auferet, vt abſens non condemnes eius operam; præſens laudes fidelitatem quandoquidem corporis labor modò te non delectat (qui mercenarijs ſuauiſſimam polentam facit, ac veluti capum bene aſſum, cepas, & allia) ruri animi quies in laudabili otio quærenda eſt, ne minor ſit Dominus ſeruo ſuo, ſi hic laborando ſudaret, ille deſidia inſordeſceret. vtilius animum tuum, quàm corpus exercebis

ſi a

ſi a terra (quam calcas, findis, ſtercoras, atque illa te viuu n ſuis frugibus nutrit; mortuum in gremium recipit) patientiam didiceris, atque inimicorum dilectionem, quæ te ad exorandum Deum vrgeat, vt viuos malignantes liberet a culpa, defunctos a pœna. In vultu coloni agnoſce culpam tuam; ſi enim terra arida ſpinas, ac tribulos germinat, vt ſudorem ex corpore agricolæ eliciat, iuſtam delicti pœnam luimus qui paradiſi delicias contempſimus: non ſolus enim agricola eſt, qui pane ſuo in ſudore vultus veſcitur, ſed & artifex in officina ſuſpirat, in bibliotheca primæ notæ doctor elaborat, in conſilio ſapientum, ancipiti cura Princeps diſtrahitur, maledictiones a Deo primis parentibus inflictas, non minus ſpiritum, quàm corpus attigiſſe, quotidiana experientia edocti deploramus. mulier in dolore filios ſuos parit, mas in ſudore; vterque enim peregrinus in virtutis exercitio defatigatur. Terra noſtra tribulos, ac ſpinas germinat, opera nimirum carnalia: quibus ſi conſuetudinis vis accedat, deprauatam, atque corruptam naturam, magis in malo corroborat. Terra quæ præcoces fructus

non protulit, ſaltem dat ſerotinos: proh dolor! vidimus adoleſcentes flagitioſos, deliraſſe ſenes. fructuosè ac iucundè corpus ruri exercebimus ſi mentem noſtram hac veritate excolamus. modò amaritudine aliqua, mixto gaudio, peregrinantes per corporis laborem, atque etiam in ruris otio pœnam temporalem perſoluimus, æterna bona cum patientia expectantes. Si Deus ſic plectit peccatorem peregrinum in via: quomodo remunerabit hominem Dei vſque ad finem perſeuerantem in patria?

De Officio Artificis.

CAPVT XIX.

NOn deſidioſis, ſed operi inſudantibus, dona ſua, Deus, hominibus diſpenſat. Agricola immediatè a benigno Cœli influxu, laboris ſui mercedem recipit; Sacerdos ex Dei mandato decimas, Princeps ob totius Reipublicæ ſollicitudinem, honorem, ac tributum. cæteri omnes qui in officio aliquo conſtituti, Rempublicam iuuant, commoda plurima ex illa reportant. ſed inter certantes de honore officiorum, magna ſen-

ten-

tentiarum varietas reperitur. Si quis proprijs manibus ſuum agrum colit (quod paucorum modo eſt cum non omnium corporum temperamenta grauem laborem ſuſtineant) non propterea magni illum faciunt Ciues. Villicum vero inter omnes ferè artifices conſtituunt. honorem, ac diuitias Iuriſperitos mereri extra controuerſiam eſt; nemo enim Reipublicæ magis vtilis eſt (ſi Sacerdotum officia excipias) quæ pacem conſeruat, ſiue obtinet per Iuriſperitorum diligentiam, vnicuiq; ſuum tribuentium. non agimus modò de Theologis, qui æterna bona annunciant, ac præmia futuræ vitæ cum diſcipulis expectant. Medicorum opera Reipublicæ tam neceſſaria eſt, vt illi lapides ſubterranei qui totam ædificij molem regunt. ſi enim vita hominis negligitur, ad quid ſeruiet pecunia; ad quid officij dignitas? niſi fortè ad erigendum in loco eminenti ex pretioſo lapide conſtructum epitaphiũ; quod potius ſolatium virorum erit, quam auxilium mortuis impenſum. lingua, gladius, calamus, penicillus, ac ſcalprum, præcipua inſtrumenta ſunt, quibus homines ad opes, ad magnatum familiaritatem viam ſibi

ſtruunt, non omnes tamen ad honorem. reliqui artifices magno corporis labore ſibi ac ſuis victum procurant, rariſsimè diteſcunt, nunquam ad honorum gradus ſub Monarcha conſcendunt. multum refert quomodo ijs inſtrumentis vtamur, videlicet an in conſeſſu Senatorum quis dixerit, an in Lycæo, an in Theatro, an in foro? gladio in iuſto bello benè vtimur, non in duello, ad propriam conſeruationem, non ad proximi deſtructionem. Authoritate publica occidit miles, occidit & carnifex: illi honori vertitur, huic ignominiæ, an quia hic vinctum interemit quod poſſet puer, ille defenſioni locum aduerſario dat, & ſuperat virum armatum, quod non niſi a ſtrenuo homine fieri videmus? Scribit Iuriſperitus, ſcribit & Tabellio; ille Iura ſcrutatur, ac ſapientum interpretationes, hic formulam ſuam inſpicit: Scriba verò ex vtriuſque pictacio copiam extrahit, Carmen modulatum lingua Muſici, ſitientibus auribus intonat: agreſtis vocis homo ſtatim eleemoſynam recipit, vt abeat, vel ſi pecunia non eget, fingent Auditores negotij alicuius Principum, vt ipſe cantilenæ ſuæ imponat

nat finem. penicillo, ac ſcalpro, inſignes artifices in ædibus diuitum tam ingenioſè imitantur naturam, vt flumina, & maria, montes, ac ſyluas in cubiculo ambulátibus exhibere videantur. qui naues periclitantes in mari, ſine periculo naufragij, feras a canibus diſcerpi, ſine periculo vulneris intuentur domi: & cum cœli tempeſtate aeris ſerenitatem, cum bello, iucundiſsimum otiũ coniungentes, gaudent ſub ſtellato fornice, vniuerſi compendio. videmus rudes in arte tam inconditè in tela, ſine in lapide beſtias formare, vt licèt noſtrates ſint, Africanæ, ſiue Aſiaticæ nobis incognitæ appareant. & ſi Principis, nobis a facie noti, ſimulacrum confecerint, nonniſi adſcripto nomine, nobis innoteſcit. in artis operibus, quæ minorem corporis laborem requirunt, maiorem impenſam facimus, ac rerum mortaliũ illecebras, magno emimus. viluerunt nobis artifices, qui vitæ neceſſitatibus proſpiciunt, placent mundani faſtus inuentores, ac promotores. ampliſsimas ædes ad exemplum Principum ædificamus, vno eodemq; tempore trium ſenſuum voluptate recreandi: vt nimirum opipara fer-

cula guſtum oblectent, muſicæ auditum, aulæa viſum. quid ſi fortunæ vi perculſos nos concidere contingat! fortè qui hilares eſſe nolebamus abſque cantore, triſtes eſſe cogemur abſque conſolatore. ab illa domo (quæ cum Principum magnificentia certare videtur) locarium expectabimus, ſed non facilè inueniemus habitatorem: nam nolet priuatus tantum in locario expendere, non volet Princeps domum priuati, primus inhabitare. Artifices illi quorum opus magis ab ingenij perſpicacitate, atq; imitatione naturæ, valorem accipit, quàm ex materiæ pretio, vel formæ nobilitate, ſicuti in monte Quirinali Equos illos admiramur, Taurum in Palatio Ducis, facilliùs è diteſcunt; ſi cæteris eiuſdem artis antecellant, nam ex opere ſuo, gratis oblata honoraria reportant quæ ſpem excedunt quam ſuſceperant. illi verò qui mechanicis artibus ſe dederunt, quibus vitæ humanæ neceſſaria parantur, breui vſu conſumptibilia, neque pro materia, neque pro forma operis, præter honeſtum aliquod, ac ferè omnibus notum lucrũ recipiunt. communis opinio eſt, illos qui in aliena materia laborant, facilius di-

teſcere

ſcere, quàm eos qui propriam ſubminiſtrant. materiæ enim amplitudo vt plurimùm ad pulchritudinem formæ facit, quàm potiſſimum intendit qui opus ab artifice ſibi conficiendũ curat; vix vero forma aptè introducitur, vbi materia reſtringitur. exiſtimo præcipuum quoddam monitum eſſe, quod artificem in officina ſua, vel hominem Dei conſeruet, vel efficiat: vt ſi materiam ille operi ſubminiſtrat, talem det, qualem à Domino ſibi deri, in negotio proprio peteret. ſi verò materiam accipit, non ampliorem poſtulet, quam in filij ſui opere inſumeret. aduenam, promptitudine laboris expedire honeſtum eſt, vt cito abeat, non tamen curandum vt cito redeat: ſi nimirum tale illi opus in officina detur, quod cogat illum cum damno reuerti. Peregrinum, linguæ vernaculæ, ac pretij rerum ignarum defraudare, quilibet poteſt; ſed in hoc hominis Dei virtus elucet, non facere mala quæ poteſt. pueros eiuſdem nationis, ac viciniæ decipere, nihil aliud eſt, quam parentes eorum ad vindictam prouocare. Etſi peregrinus à via aberrauerit a-via id neſcientibus, vel diſſimulantibus hominibus, quo fugiet a facie

Dei? tentatoris iaculo petiti, primũ hoc ſcutum aduerſario opponere ſolemus, nolle nos Deum contemnere, quem tenemur ſuper omnia diligere: non prohibemur aliis armis vti, nimirum nolle nos pro terrena proſperitate æternitatis ſpem amittere, neque pro momentaneo quod delectat, incurrere ęternum quod cruciat. licitum inſuper artifici eſt, ideo etiam peccatum fugere, ne inter conciues ſuos probos, furis nota infamis reputetur, quod in totius familiæ, imo nationis damnũ vergit. nam licet extraneum deceperis, ille nationis vitia promulgabit: ſi pueros: illorũ parentes familiæ artificis furti notam inurẽt. maxima hominũ pars, alicuius artis exercitio, vitã ſuã tranſigit, & quidem magis ad paupertatẽ accedens, quàm ad rerũ abundantiam exiſtimo hanc eſſe tutiorem peregrinorum ad patriam viam; paupertas enim, etſi damnoſa homini ſit, qui patienter huius vitæ ærumnas non tolerat, magis tamen noxia eſt rerum abundantia, cum vt plurimum videamus, ex opibus arrogantiam, atque omnia alia vitia manare. quis non lugeat illorum artificum conditionem, qui tanto labore, ac ſudore

pri-

primo circa inſtrumenta artium occupati, deinde opere aliquo ſufficientia corpori ſibi procurant. Inter quos nonnulli ſunt qui artem ſolum addiſcunt, ſed in hominum Dei numero eſſe non curant, trahendi per diuerſos labores, ac dolores ad extremum ſine fine ſupplicium. quot circa aurum, argentum, & cætera metalla hominum millia occupentur, commiſeratione dignum eſt ex eo vel maximè, quod non ſuis, ſed alienis commodis operam nauant. lapides, animalium pelles, lana, linus, piſces maris, & beſtiæ terræ, fructus agrorum, & camporum, quot artibus materiam ſubminiſtrent, dictu difficile eſt. quibus ſi addamus aeris intemperiem, frigoris rigorem, caloris incommoda, animalium vexas, & plura alia ignota, tam diuitibus, quã pauperibus communia, conſtat deplorandam eſſe vitæ peregrinorum artificum conditionem, niſi ſpe patriæ mitigata, & in peccati pœnam aſſumpta, ſiſtat hominis Dei animũ, Diuinæ, & pluſquam paternæ prouidentiæ ſubiectum. quod clarè videmus in artifice homine Dei, qui tunc ſolùm (ò quam bonus Iſrael Deus!) aliquam moleſtiam ſentit,
 quan-

quando in ot o i egere eum ſinunt, qui ad opera artium vocare ſolebant. Vnde liquet, quàm magnus ſit, peregrini pietas cum ſufficientia quæſtus.

De Officio Aulici.
CAPVT XX.

SEruí ex eo dicti ſunt, quod Imperatores antiqui, captiuos ſeruabant, volentes eos vendere, non occidere; qui præter animam, ac liberum arbitrium, vix aliquid proprij habebant: nam ſi vxores ducebant, naſcebatur quidem patri filius, ſed Domino eius ſeruus. inæqualitatem ſtatuum, a que officiorum (quam Dei ſapientia in vniuerſo reperiri voluit) hunc effectum gignere videmus: vt coram potente, egenus ſe humiliet, ac pro modico argenti, quod certo ei perſoluitur, ſpei plenus, tam exacte ſe illius obſequio mancipet: vt a ſeruo in hoc ſolo differre videatur quod a Domino vendi nequeat, quod ab eo inuito poſſit abire. vnius viri prodigalitas (qui hoc ſolus ludendo, ſeu conuiuia agitando dilapidauit, quod vix honeſtæ familiæ erat ſatis) in cauſa ſæpè fuit, vt cogeretur vir nobilis, ſeruitutis iugum ſubire. Tres fratres prodigo-

rum

rum filij, ac nepotes, ſolo ſerui nomine deterriri (quod inter Chriſtianos mite eſt) conſilium inierunt de modo viuendi ſine dedecore, ſeù moriendi cum honore. Vnus qui non capiebat, poſſe virum nobilem, ſine pecunia honeſtè viuere, vel ſeruire cum honeſtate, ſtatim decreuit ad bellum contra infideles properare in prima linea quadrati agminis Cæſaris contra Turcas pugnantis, pro fide, ac religione moriturus, & cum anguſta re familiari, hoc documentum fratribus relicturus, eligendam potius eſſe mortem glorioſam, quàm vitam ærumnoſam. Alter & ipſe, ad mortem confugit (mundo enim mori voluit, vt Deo viueret) neque tamen a ſtatu ſuo decidit, factus talis Domini ſeruus, cui ſeruire perinde eſt ac regnare. Tertius portionum fratrum adminiſtrator relictus, ſublimium animorum præſtantiam admiratus eſt, ſed fluctuans in imitatione, tandem in ſpem propendit, per viri potentis auxilium, fortunæ ſuæ fermè euerſæ, magnæ acceſſionis probabiliter futuræ, ac ſtatuit magnati cuidam obſequium ſuum addicere, a cuius magnanimitate non in vanum multi expectarunt, accedente auitæ nobi-

nobilitati aſſiduæ ſeruitutis merito, aliquem honoris gradum, qui rarò ab vtilitate ſeiungitur. noluit tamen propoſito ſuo effectū dare antequam hominis amantiſſimi ſui, de aulicorum conditione differentis iudicium exquireret, hunc illo tempore offendit, quo fratrem ſuum germanum in prælio cōtra infideles glorioſè obiiſſe, a commilitonibus didicerat, alterum per profeſſionem regularem, veluti in cucullo ſepultum, temporalia bona illi primo renunciaſſe ab ordinis ſuperiore. & quidem lachrymas amico ſuo mouit, non quod fratre orbatus eſſet, qui cum tanto honore vitam finiuerat, neque quod alter habitum religioſum ſuſcepiſſet, quo magnos Principes indutos videbat, ſed quod de Domino illum interrogaret, qui ſolebat ab eo ſeruum poſtulare. Tunc ſic de aulicorum conditione (quæ poſt religioſam, ac militarem honeſtiſſima, nobili viro maximè congruere videtur) ratiocinatus eſt, in tanta apud omnes æſtimatione libertas ſemper fuit: vt maluerint multi in prælio generoſè dimicantes occumbere, quàm in captiuitate ludibria hoſtium ſuſtinere. non me latet diſparem eſſe ſeruiendi

ratio-

rationem, de qua modò agimus; nulla tamen ſeruitus tam deſiderabilis eſt, quæ libertati priuati hominis (cui ſufficientia rerum adeſt) æquiparari valeat. vidi te cum duobus fratribus non quidem ſplẽdidè, honeſtè tamen ac proprio arbitratu, vitam temperare: modò portionibus germanorum locupletatus es, & Dominum quæris? miſeremur nobilium pauperum, quibus illa deſunt, quæ naturæ neceſſitas poſtulat, ſi opulento cuidam viro adhæreant, a quo iacentes erigantur. hæc ſola paupertas duritiem aliquam cordis offendit, quæ ex proprio peccato originem traxit: vt ſi quis cum teſſeris ſua bona proiecit, ſi illos conuiuio excepit, a quibus poterat lautius tractari, ſi tot beſtijs auenam dedit, vt poſt modum ipſe frumento indigeret. Fateor aliquam tamen ſeruari in iudicanda nobilium paupertate regulam: vt nimirum ille pauper dicatur, qui ad ſeruandum nobilitatis decorem facultatibus ſufficientibus inſtructus non eſt. doleo te ab aui, ac patris tui prodigalitate ad tenuem fortunam detruſum eſſe: gaudeo quod non ex propria tua culpa; ſed neſcis quod in pectore viri nobilis tam altas radices

libe-

libertas fixiſſe debuit: vt ſi in ipſa Vrbe (quæ totius Orbis delicias continet) fortunæ bona, non permittant eum ſui iuris, atque arbitrij eſſe, ad Getas potius tranſmigrare paratus ſit, quàm in ea ſeruire, ſi tamen apud exteros, lares ſuos inueniat. Sed ponamus quod inclinationis tuæ ad aulam approbationem potius quęras (de quo vehemens ſuſpicio mihi incidit) quam deliberationem; peto abs te, An Princeps ſupremus, tuo perſonali obſequio indigeat? An te vocari iuſſerit? An rogatus a mediatore, vt illi ſeruias, ille tibi volet imperare? ex humanitate quilibet ſubditus ad ſeruiendum Principi ſuo etiam in rebus domeſticis paratus eſt; & ſicuti ſtolidum illum diceremus, qui vocatus non iret: ſic prudentem vocamus, qui exeunti, ac redeunti Domino ſuo cateruam quidem præbet, ſed ad domeſtica aulæ officia importunus non aſpirat. in tali Vrbe degis, quæ a tam excelſo Principe regitur, vt proceres ditionis ſuæ habeat, quibus non dedecet virum nobilem inſeruire. peto num Eccleſiaſtico Domino operam tuam dares? An verò antiquæ nobilitatis viro, ſed ad fortunæ mediocritatem

deiecto

deiecto, ſiue recentiori in nobilitate, ſed ab opibus paratiori: velim tibi perſuadeas, ſeruos illos, qui a Dominis ſuis honoraria pecuniaria ſpectant, præter illa quæ familiaribus ſuis quotquot menſibus ex fide perſoluunt, leuiſsimè fundatos eſſe; nam coniugati filiis ſuis bona patrimonialia ſeruant, Eccleſiaſtici, nepotibus. Superflua amborum, ac pars maxima Eccleſiaſticorum bonorum, pauperibus deſtinantur. Penſiones, Eccleſiaſticus benè ſanus transferre non ſolet: lethaliter æger de ſalutis negotio ſollicitus eſt. verba potentum ſæpe pauperem è miſeria eripere, non inficior, ſed rariſsimè oris officium ab iis poſtulandum eſt; nam pro ſe ac ſuis rogandus aliquando Princeps eſt; vnde cum aliquo periculo importuni eſſe nolunt. nullus enim ijs abnegatiua duriorem cibum vnquam appoſuit. ſi inferiorem nobilitate familiæ tuæ Dominum inueneris qui hoc fateatur, atq; a ſimilium virorum obſequio, honorem aucupetur, conſiderans veluti in ſpeculo inſtabilitatem fortunæ, benè eſt, ſub hoc, tranquillam vitam perages, diſsimulaturo in te aliquem defectum, propter auorum tuorum

vir-

virtutem. cuiuſcumque Domini ſeruituti te mācipare decreueris fac talis ſit,vt pietatis ac prudentiæ famam apud omnes conſequutus ſit. dictum alijs eſt, vt aula exeant ſi *pij* eſſe volunt: ego ſuadeo,vt illā non ingrediaris,ſi pius eſſe nolis.nō fruſtrà Domini pietatē,ac prudentiam deſideraui; nam a pietate nullū turpis rei mandatū proficiſcitur a prudentia, nullum præceps conſiliū,non requiro abs te, religioſam obſeruantiā,quæ ſicuti in fratre tuo laudabilis fuit,ita ab aulico affectata non arridet.nūquam ab hoc propoſito cogitationē tuam abducas: vt mori malis, quàm lethali crimine cōtaminari.ex eo quod famulos a pedibus ac pueros aulicos,ſericis veſtibus incedere Domini iubeant: in honorem familiæ Illuſtris redundare veſtium magnificentiam arguere debet aulicus: vt non niſi lautè veſtibus in procœetio compareat. ex forma quam Dominus ſeruandam in veſtitu conſimili Sartori præſcripſit, & quam ipſemet vſu ſuo probat, diſcet veſtiendi modum ſeruare,& maximè grauitatem Domini ſui imitari, ad cuius laudem pertinet viros leues, atque effœminatos, in domo ſua non ſubſiſtere. ijs qui in procœtio

tio Domini audientiam expectant, minus ſen per promitte, quàm fortè ab eo impetrabunt. melius enim eſt eos exhilaratos a Domini præſentia abire, quàm a te inflatos cum mœſtitia dimitti. qui vanâ ſpe nituntur, ſuauiter ad conuenientiam reducendi ſunt: vt præuiſum abnegatiuę iaculum minus feriat. affabilem te omnibus exhibe, ac ſaltem in verbis liberalitatem aliquam oſtende, qui ſeruire coactus, a magnificentiæ operibus, inuitus abſtines. pone tanta humanitate te a Domino tractari; vt Patri tuo ſeruire videaris: illud e memoria tua non excidat nihil periculoſius in aula inueniri, quã ſi Dominus veluti fratre germano, vtatur ſeruo. Cum amore honorem, ac reuerentiam Domino tuo defer; atque omnia quæ ad ipſum pertinent ſtudio aliquo proſequere. exeunti è cubiculo coniugi eius, paucis ac ſerijs verbis a te ſalutatæ, porrige brachium; ſit puellis pro ſermone honoris nutus: non ſe ſperni gaudeant pediſſequæ: lude cum pueris; blandire cani. deteſtare in procœtio illorum impietatem, qui rebus ad Dei cultum aliquo modo pertinentibus obtrectant: damna illorum imprudentiam,

qui

qui regimen Monarchę carpunt, qui frigido ſermone Domini ſui beneficia exornant, qui abſentibus detrahunt, qui præſentibus contumelias inferunt. hæc regula generalis eſto, omnes opere iuuare ſi potes, verbo recreare ſi re ipſa non potes. neminem verò neque opere, neque verbo lædere. Inter eos qui aulam Domini ſui frequentant, plerique variarum rerum ſcientia inſtructi ſunt, ſiue nobilitatis honore fulgent: ijs te ſocium adiunge, nam vel ab his ab eis melior, vel ſaltem non deterior. perfidum genus hominum, quod Scorpionem ex ore ſuo emittit vt Viperam ex alieno extrahat, ſemel auſcultaſſe ſufficiet, vt ſemper fugias. atque hæc ſpeculatiuè dicta a me eſſe cupio, non vt in praxim deducas, qui potes ſine diſpendio nobilitatis, ab omni moleſtia remotam vitam agere, non veró proemij diuturnæ ſeruitutis ſponſorem a Domino poſtulare. Sic dimiſſus ab amico in magnam ſollicitudinem incidit, pugnantibus inter ſe honeſtæ ſeruitutis, ac frugalis libertatis rationibus. tandem ſpe melioris fortunæ allectus, ſeruire decreuit, atque ex amici monitis concluſiones ad quas deduxit,

quæ

quæ tam Eccleſiaſtici, quàm ſæcularis Principis aulæ accommodari poſſe iudicauit. Primò ſæculari Domino ſeruiendi occaſio illi oblata fuit, apud quem per annos aliquot in honore habitus, nihil aliud lucratus eſt, quàm quod ex patrimonio ſuo, ac Domini ſalario ſeipſum cum famulo honeſtè aluerit. Principe in ipſo iuuentutis flore ſublato Vxor vidua, prolis vtriuſque ſexus mater, priuatam quandam vitę rationem inire ſtatuit, vt creditoribus debita à viro contracta perſoluens, maribus ab omni onere liberam hæreditatem relinqueret, puellis vero dotem ampliaret. Ex venditione Equorum, mediaſtini ipſi argumentati ſunt, paucorum ex ſuis operam neceſſariam Dominæ fore: nobiles domeſtici, participes communis mœroris (nam filij orbati parẽtẽ remanſerant vxor viro, illi Domino) recens viduę, ſolatium aliquod afferre nitebantur; quod viri mortem lugerent, atque illius dolore mœrerent. illa conſolari noluit, ſed humanitatis ergo illos admiſſos fuiſſe reſpondit, ne ingrata eſſet ob fidelem ſeruitutem defuncto marito ab ijs exhibitam dum viueret: impoſterum ſeſe virorum oculis ſpe-
ctan-

ctandam non præbituram, quod poſſibile ſibi fore aſſeruit, ſi in Cœnobio aliquo deliteſceret, vel domum ſuam, veluti Cœnobium inhabitaret. Muliebris ingenii promptitudo hoc mœſtæ ſuggeſſerat: vt tacitè dimiſſi nobiles ſpontè Dominæ valedicerent. eadem veſtis lugubris, quam ob mortem Domini geſtabat, alium mœroris titulum expleuit; nam fratris ſui germani mors (qui in Religione cum opinione non vulgaris probitatis obierat) in idem tempus incidit, quo ille emolumentis domeſticis magis intentus erat, quàm in mente aliorū repoſito laudabilium fratris actionū conceptui. Poſt tempus aliquod Eccleſiaſtici Principis nobilium numero adſcriptus eſt: in cuius aula cum inſignibus in omni ſcientiarum genere viris, iucundiſſimè conuerſatus per annos, a Domini humanitate, preclara tulit æſtimationis ſui ſigna, ſed cum fluxiones quædam in ipſo cauſaſſent vt grauiter audiret, & cum difficultate incederet: moleſtum Domino fuit bis ſaltem verba repetere vt intelligeretur, oneroſum comitatui Domini, aſcendentem rhedam, & ex ea deſcendentem tardare. Iniunctum fuit cuidam ex aulicis pro-

pter

pter multas ſuauitates ingenij, atque humanitates ab ipſo præ cęteris dilecto, vt ſuaui verborum circuitione illum ad mutandum cœlum inducerer. qui pulſans fores cubiculi ſur-caſtri heus inquit amicorum integerrime? quouſque priuabis procœtium Domini tui ſuauitate colloquij, me beneuolentiæ mutuæ declaratione? Dominum communem comitatus ſplendore? ſi dicis, ætatem tuam iam declinare, atque ad ſenectutem proximè accedere, monſtrabo tibi alios in aula, qui canos ſuos quotidie ad procœtium adducunt, horarumque aliquarum ſpatium dantes, confabulationibus, geſtis Europæ perſcrutandis, vtinam non detractionibus, & quod veluti gluten omnia illa coagulat, tabaci ſibi oblati, vel aliis porrecti communicationi. video te præter morem verbis meis diligenter attentum, non propter ſermonem, qui de rebus ludicris eſt, ſed quia catarrhus grauitatem iſtam auribus tuis impreſſit. ſolebam tecũ in cubiculo ambulare: iam mihi ſedes vix ingreſſo, poſita eſt, ex quo vera mihi eſſe narrata comperio; te tam in audiendo, quàm in ambulando difficultatem ſentire. quod ad fami-

liares

liares Domini attinet, illi dolorem ſentiunt ob corporis tui incommoda: verùm cùm humanitas ferè tota in paucorum digitorum ſpatio ſita ſit: quid mirum ſi eruditione tua contenti forent, quam lingua diſerta alijs communicare tibi graue non eſt, iis nimirum, qui magis indigent patienter audire, quàm curiosè interrogare: ſed quomodo Domino ſatisfaciemus, qui ratione dignitatis, honeſtum aliquem comitatum exigit, etiam in Rhedis per plateas, & viſitationibus in palatijs? quando te honorare volet, petendo conſilium, vel ſe humiliare, admittendo ad familiare colloquium: debebitne clamare vt audias, idem repetere vt intelligas? nouiſti expectari paulisper ad Palatium Principis, vt deſcendentes è Rheda aulici aduentant, præceſſuri Dominum ſuum: qui celeritate aliqua, ac veluti currentes vix ad Rhedam perueniunt, è qua Dominus (qui ex diſcretione paulisper expectauit) mox eſt deſcenſurus. quod propter vnum, communitas moleſtiam ſubeat, ſanè tu non vis, multo minus qnod Princeps ad veſtrum arbitrium ſe fingere cogatur. exiſtimo ſub diuerſo cælo, atque

extra

extra Cubiculi huius anguſtiam conatum tuum ad motum, poſſe malum minuere, vel ſaltem lenire. non dubito quin minorem ex catharro dolorem trahas, quam ex eo, quod ademptum tibi ſit, poſſe quotidie Domini preſentia frui, illud etiam te timoratæ conſcientiæ virum perturbabit, quod cum Domino non ſeruias, iniuſtè videaris honorarium pecuniarium accipere, quod idoneo ad famulatum, fortè Dominus iam deſtinauit. Suadeo amico vt portari ſe ſinat ad locum amœnum, faciens ſodales ſuos ambulare, cùm domum ſuam, ſalua Domini beneuolentia repetierit. Laudauit patiens, viſitantis amici fidelitatem, atque aulæ ſponte valedicere ſtatuit, timens miſſionis Domini maiorem claritatem. Superaddita malo ſuo Chiragra acceſſit; quando coactus fuit, pro locario pecuniam ſuam poſt tot annos denuò expendere, ac baiulo mercedem dare. vbi cum ſeruo anno ſeruitutis ſuæ numerauit (quibus neglecto veſtimentorum faſtu, potuiſſet in habitu modeſto, vitam cum libertate ducere, contentus victu parco, ac domo mediocri) quid ſuum

L inquit,

inqui: ab amicis conſilium petere, ſi eorum ſententiam ſequi nolimus, niſi cum proprio ſenſu conueniat? prouidus ille fuit, qui vitam aulicam mihi diſſuaſit, regulam tamen ſuggeſsit, vt ſi irem in aulam, non deeſſem ſaltem proprio officio, qui nolui vti ſalutari conſilio. roga illum, vt ad me venire dignetur: dic non te id rogaturum, ſi fluxio humoris permitteret, me poſſe illum adire. intacta adhuc lingua eſt, quæ neglecti conſilii veniam poſtulet: erit attenta auris, ſi dignabitur vocem attollere, non minus ad vitæ reliquæ ſapienter inſtituendæ imperium, quam ad præſentis calamitatis ſolatium. Inuenta a ſeruo domus fuit, in qua paucis contentus, ſub ficu ſua per multos annos requieuerat ſenex, ac tandem in Domino obdormiuerat. Durus Domino nuncius factus eſt ſeruus, quem tamen oportebat vera nunciare. Hic nouo dolore perculſus ſurdaſter fuit, quod fratribus, quod amicis ſupereſſet ſolus, illorum membrorum uſu deſtitutus, quibus amici veteres colendi erant, vel noui procurandi. Demum à fratribus optimo iudicio factæ electioni ſuum conſi-

lium

lium comparauit: quod Miles pro fide ac religione dimicans, veluti Chriſti martyr occubuerit, ille pœnam martyrum ſuſtinuerit, cauſam vilem elegerit; alter in hominum Dei religioſo cœtu laudabiliter vixerit, cùm talibus ſignis morte defunctus: vt peregrinum ad patriam cæleſtem perueniſſe piè crederent, qui ſingularem eius pietaté admirati fuerant; ille verò modicæ facultatis, ſed pretioſi temporis ingentem iacturam fecerit, qui potuiſſet in ſtatu moderatæ libertatis, cum tanto fructu, ac bonorum futurorum ſpe magis ſolidè fundata, ſoli Deo ſeruire, hæc ille; ego verò aulicos rogo: vt non a me, ſed a Principe homine Dei, contra ſæculi vanitatem hoc pharmacum accipiant. Nolite confidere in Principibus in filijs hominum in quibus non eſt ſalus.

* *

De Officio Coniugatorum.

CAPVT XXI.

Matrimonium a Deo ante Adæ peccatum inſtitutum fuit, in officium naturæ: poſt peccatum, in remedium vulneris; in lege verò gratiæ, vt myſterium coniunctionis Chriſti cum Eccleſia repræſentaret. de virginibus præceptum Dominij nō extat: nam voluit quidem Deus per prolis procreationem naturam ſeruari; quod fieri poteſt non omnibus matrimonia contrahentibus, virginitate verò perfectionem humanæ multitudinis (quæ exigit aliquos vitæ contemplatiuæ inſeruire) exornari. diu elapſum tempus eſt, in quo paucitas hominum exigebat: vt quilibet fermè gen rationi vacaret. modò remedium vulneri applicandum eſt, quod licitè quidem per matrimoniū adhibetur; ſed non vnquam per neceſſarium, ac ſingulare contra concupiſcentiam remedium. Apoſtolus ad colendam virginitatem conſilium fidelibus dat, & conſitetur ſe Dei miſericordiam conſequutum eſſe, quod

quod nimirum ſtimulo carnis ſuæ, angelo Satanæ illum colaphizante, in infirmitate virtutem faceret, & quod ad matrimonium concupiſcentiæ remedium non confugeret. quod bonum quidem eſt, ſed propter annexam ei delectationem, ac temporalium ſollicitudinem, orationi, ac rerum cæleſtium contemplationi vacare expeditè non concedit. Tribulationem carnis habent huiuſmodi homines, qui matrimonia ineunt cogitantibus Coniugibus quomodo ſibi inuicem placeant, quomodo filios nutriant, quomodo inſtituant. dum ardentes libidinis faces a ſpiritu fornicationis, Diuo Benedicto ſubijcerentur: ille ſe in vepribus tamdiu volutauit donec lacerato corpore, voluptatis ſenſus dolore opprimeretur. Diuo Hieronymo in Eremo inter feras commoranti, a Solis calore vſto, ac ieiunio extenuato, humani generis hoſtis tam efficaces vanitatis mundi imagines propoſuit: vt relaxantium animum mulierum conſortio, præſens Romæ intereſſe videretur. Senſerunt hi carnis rebellionem, ſed prauæ dæmonis ſuggeſtioni non conſenſerunt. nimirum alia dedit Deus contra carnis concupiſcentiam

præter m trimonij licentiam remedia. Vidimus ſuperius vnum ex præcipuis humanæ vitæ negotijs a fidelibus confici, dum matrimonia contrahunt; nam cum Sacramentum hoc, coniunctionẽ Chriſti Domini cum Eccleſia ſignificet (qui quod ſemel aſſumpſit nunquam diuiſit) tam arcto vinculo coniugati nectuntur, vt in ſolius mortis poteſtate ſit, eos ab inuicem ſeparare. quod diligenter conſiderandum eſt matrimonium contrahentibus; nam licet ad recompenſandam rationis iacturam, quam in coniunctione viri & mulieris, propter delectationem, & temporalium ſollicitudinem coniuges patiuntur, ad qua bona ſint, quibus matrimonij ratio honeſta apparet: deficiente prole, deficiente fide coniugali, ſola ſubinde remanet Sacramenti ratio, quæ ligatos tenet ambos conſcientiæ vinculo, etſi ſeparentur conuictus domicilio. & quidem ſi fœmina viro fidem non ſeruat, de facili continget partem hæreditatis ad alienum transferri, quo legitimi defraudabuntur. & ſi ſolus ſpurius eſt, proximis conſanguineis hęreditas aufertur, quod maximè pernicioſum Reipublicæ eſt ſi domi-

nium

nium temporale annexum hęreditas habeat quod extraneus occupabit, veriſimiliter non eandem, nec tam ſuauem regiminis formam ſeruaturus. pœnitenti adulteræ conſilium a Sacerdotibus dandum eſſe Theologi monent; vt ad amplectendum Religionis ſtatum, illegitimum inducat: ſed ſerum videtur, cum potius videamus filios inconſultis parentibus matrimonium contrahere, quam ijs ſuadentibus religioſam vitam amplecti. pone matrem ſpurio turpitudinem ſuam reuelare (quod ſi ſub præcepto caderet difficillimum foret) cum filius in hoc caſu matri fidem habere non teneatur: videtur quod illa mulier, quæ ex alieno viro concepit, pauperi ſimilis eſt, qui ſegetes alicuius iniuſtè accendit, atque vnà irreparabile damnum ei intulit violata a viro coniugalis fides, tot malorum cauſa non eſt, niſi quando ad alienam acceſſit, latente crimine ſub ſpecie honoris. ſi enim de alieno viro nupta concipit, nonniſi ſollicitata lapſa eſt, vnde grauius adulteri crimen ex hoc eſt, ęquale vero quoad cætera damna quod illegitimus hæreditatis partem obtinebit, cum ſub honore matrimonij deliteſcat. in

adulteras grauiter animaduertūt viri; nam luſiſſe omnia bona ſua videtur mulier, quæ caſtitatis coniugalis iacturam fecit, & palàm notari meruit. Etſi de viris non tam turpis in hac materia fama peruulgetur, mulieri tamen in adulterio deprehenſæ facilius ignoſcimus, ſi frangenti primo fidem marito fidem non ſeruauerit. ad vtriuſque coniugis officium pertinet ita ſe gerere, vt propter animorum diuiſionem, ex cohabitatione, ac mutuo ſibi inuicem præſtito obſequio orta vtilitate non priuentur. populus enim ſeparationem huiuſmodi potius ad impudicitiam mulieris, ſeu viri crudelitatem refert, quàm ad alterutrius pernicioſam contagionem. Seruanti fidem viro facilè ſeruabit mulier, ſi corporis alimenta ei non deeſſe permittat, & quæ non minus vrgent, veſtimentorum ornamenta. non recuſat pietati addictus ſexus aliquot dierum in anno (qui ſub præcepto non cadunt) ieiunia aſſumere, ac frugali menſa contentus eſſe, modò in indumentorum faſtu, detur ei æquales ſibi ſuperare, nobiliores æmulari. inhumanum eſt, mulierem a viro torqueri quia non concipit, obiurgari

pari, ua puerpera marem enixa non eſt. apage inſanientem qui zizania ſeminat, & triticum metere prætendit. prudentis eſt, nonnihil de grauitate remittere, atque cum ſterili domi aliquid iucunditatis deguſtare: pro abſentia verò, quam negotia domeſtica requirunt hilari animo & prompto ad iocandum ancillas illi adiungere, auiculas & caniculas alere; nam cum ad ludendum mulier inclinet, ſi domi ſuæ oblectamenta non habet: timendum ne mœrore confecta, illa quærat foris. iuuabit cum Elcana dicere mœſtæ nunquid non ego melior tibi ſum, quàm decem filij? alioquin ob creberrimas de ſterilitate querelas, poſſet illa votum al quod fingere, ad frequenter exeundum è domo, ſed diuturnitate temporis, marito nothum referre, atque hic meditari licet admirabilem Diuinæ prouidentiæ diſpoſitionem, quod pauperculi pane egeant quo eſurientes filios nutriant, diuites frumento abundent, ſed ſæpe prole careant, quæ fruges conſumat. inter Coniugatos diſtincta opera eſſe oportet; quædam enim competunt viris, quædam mulieribus. vix credimus eo ignauiæ redactum fuiſſe Regem Aſſyriorum: vt

purpuram colo nens penſa inter Virgines ex mulieris mandato partiret. quamobrem indignati ſubditi, fœminæ tantum virum ſubiectum, tractantique lanam, ferrum, & arma portantes parere: ab animi virilis principe in reliquum tempus gubernari voluerunt. Colus ac fuſus inſtrumenta mulierum ſunt: Calamus, & gladius virum decent, ad quem etiam ſpectat extraneis reſponſa dare, ac domeſticos regere. Si exauditæ fuerint coniugum preces, heredem a Deo poſtulantium, nolens mater illum lactare, ſaltem bonæ indolis nutricem illi procuret, ne cum lacte rusticam aliquam feritatem ſorbillet. puerilis ætas moribus domeſticorum facilè imbuitur; vnde ad capita familiæ potiſſimum ſpectat ſe rectè morigerata ſubditis exhibere, ne quid indecorum videant, ne quid obſcœnum audiant. qua fronte pater a filio Salutationem Angelicam ſibi recitari poſtulabit, a quo diras domeſticis imprecari filius didicit? qui mechanicis artibus ſuam operam dederunt, prudenter vnum ex filijs, artibus liberalibus, imò ſpeculatiuis, ac ſuperioribus ſcientiis, ſtudium ſuum dicare iubent: forſitan ingenio condiſcipulos excellet, atque ad ho-
noris

noris gradum, virtute duce conſcendet: quod vehementer rationibus ſuorum conducet: nam qui familiæ ſuæ nobilitatem probare nequit, tegere conatur vilitatem. quando omnes & induſtriæ, & fortunæ fructus Coninges fermè perdiderunt, vt non niſi anguſtam hæreditatem filijs ſuis relinquere valeant, ſaltem in hoc, ſtudioſè operam ſuam collocent, vt virtutem Chriſtiani hominis ornamento honeſtari, ac bonis artibus imbuti, peregrini ad patriam cæleſtẽ proficiſcantur. Si latro viatori pecuniam aufert, ac veſtem, artem non tollit, qua iterum pecuniam lucretur, ac veſtem ſibi comparet. ſi vero vitam illi adimit, reliqua inutilia illi facta ſunt. in via ad patriam Dæmones veluti latrũculi iter noſtrum obſident; quibus aliquando permittitur, temporalium bonorum damna nobis inferre, nullius vero niſi volentis virtutem perdere. ob temporis huius vitæ breuitatem, optabat Apoſtolus, fideles ſine ſollicitudine coniugii eſſe: eos verò, qui ſermonẽ hunc nõ capiunt, monet: vt habentes vxores, tamquam non habentes ſint, atque ita hoc mundo vtantur, ac ſi non vterentur.

De Officio Tranſcendentium.

CAPVT XXII.

Plæ quorundam affectiones erga actus virtutum poſſibilium quidem, ſed qui probabiliter futuri non ſunt, laudem aliquam merentur, niſi alia magis vrgeant, quæ locum illarum implere debeant. dum geſta martyrum leguntur: quid vetat per vnicum gladii ictum (quem non vt fures; neque maledici, neque homicidæ patiebantur, ſed vt Chriſtiani) citò regnandi cum Chriſto deſiderium concipere, & vitam hanc tentationibus, ac periculis plenam Deo offerre? Virgo audiens adulterii crimen in muliere deprehenſa, poſſet fidelitatē marito ſeruandam ſi nupſiſſet iterum promittere, & obſeruare velle. quidam pauperculi tam benè diſpoſiti ſunt, atque affecti erga ſui ſimiles, vt Xenodochia, Collegia, atque alia miſerorum receptacula fundarent, ſi diuitiæ affluerent. ſatis communis eſt erga bonum Communitatis propenſio multorum, qui perſonam Principis induunt, officia iuxta talenta, ac merita diſpenſan-

tes,

tes, annonam largiuſculam populo ſubminiſtrantes, iniquos extermi-r antes. dicerent his martyribus deſ:deriorum, directores vitę ſpiritualis: vt non ſolliciti de longè petitis Tyrannis, amorem ſui inordinatum eliminare contendant. dicerent coniugatæ imaginariæ: vt domus feneſtras claudat curioſitati perſcrutandi quid fiat in plateis, vel ſaltem non ſe viſendam tranſeuntibus offerat. Pauperem hortarentur: vt quando pluuiæ vel calores, populo vacuam vrbem faciunt, & per templa duri miniſtri circuire mendicantes non patiuntur, ipſe tunc Eremi cultores, ſolo pane, & aqua contentos imitari ſtudeat in prandio, niſi velit poſt Solis occaſum cum ipſis recreari. denique Principes illos momentaneos in domibus ſuis ſub titulo Oeconomorum, iura cuique conuenient a adminiſtrare iuberent, quandoquidem nec titulo hæreditatis, neque electionis, ab obedientię virorum priuatorũ vinculis exempti vnquam fuerint, ſanè longe diuerſum de negotiis Regnorum iudicium laturi, ſi ſecretorum Reipublicæ participes ſi rent. Voluntas hæc peregrinantium veluti ambulatoria, ſi non

ſem-

ſeu per laudabilis, ſaltem tolerabilis
eſt, tunc declinans ad dexteram, vel
ad ſiniſtram, quando curam eorum,
quæ ad vocationis propriæ ſtatum,
ſiue officium pertinent, impediret.
Tranſcendunt hi cogitationibus ſuis,
alij factis; vt cum Eccleſiaſtici bella
gerunt, Sacerdotes in cauſis laicorum
etiam quandoque criminalibus
patrocinantur, vel medentur infirmis;
Laici eccleſiaſticis negotiis ſeſe
immiſcent togati legionibus militum
præficiuntur, Plebei Regna adminiſtrant.
Authoritate Pontificis Romani
multa ſimilia licere nemo dubitat,
maximè ſi bellum geritur contra
Infideles, Rebelles, Dominij Eccleſiaſtici
inuaſores, & per aliorum
manus. quando Clerici medentur,
& non incidunt. Sæpè cōtingit Principes
in ſubdito non ſolum conſilia
in politicis prudentiſſima reperire;
ſed & artem militarem, ac belli rariſſima
ſtratagemata. quod ſutor de
crepida iudicium dederit, non ægrè
tulit Apelles; verum quod de cæteris
tabulæ pictæ figuris ſententiam ferret,
temeraria ei res viſa eſt. Saulem
ſtultè egiſſe, dum Sacerdotis officio
fungeretur, comminatoria obiurgatio
Samuelis oſtendit. electum à

plebe

plebe, in ditione Regum, totius regiminis onus ſuſcepiſſe, ridiculum foret, niſi acerbiſſimæ calamitatis cauſam præbuiſſet inſanientium defecto. quod mulieres aliquæ Scripturam ſacram aſſiduè manibus contrectata, & lectam intelligere, atq; interpretari præſumant: Viri illarũ in cauſa ſũt, nõ ſemper mariti, qui præter hoc, vniuersã Eccleſiã reformare prę umunt, contra ſenſum Sanctorum Patrum, atque Eccleſiæ Doctorum, non ſolum interpretantes ſcripturas, ſed & noua dogmata introducentes. poſſe vnum hominem pluribus negotijs intendere, magni ingenij, ac tenaciſſimæ memoriæ indicium eſt. Sed quod iſtis omnibus perfectè, ad naturam angelicam pertinere videtur. Miles remotus a ſuis, domeſtica negotia negligit, ſi familiæ caput eſt: vxorem periculo illuſionis exponit, ſeipsũ opprobrio; filios abſque timore educari in cauſa eſt Clericis occupationibus obrutis, & laſſatis propter ædium Iudicum diſtantiam, fortè ſomnus eripiet illud tempus quod recitatio horarum in tali ſtatu ſub lethalis criminis obligatione exigit. Et ſi Sacrificium Miſſæ offeretur a talibus, timendum

quod

quod ob rationes, vineam, vel domũ Christi esse reducentes, distrahantur in altari, vt a dæmone illudi eis contingat, ſicuti cuidam accidit, qui de piſce coquendo in loco tam ſacro, tremendo ſacrificio negligenter intentus, nimium ſollicitus fuit. vidimus aliquos feliciter tranſcendere, qui domus ſuæ curam cum laude ſuſcipiunt, atque inſuper bono publico inſeruiunt excurrentes per aliquod tempor s ſpatium, ad laborantium modo aliquo Xenodochia, peregrinorum hoſpitia, Sodalitatum congregationes, ſtudioſorum Collegia, Sanctimonialium Monaſteria, Viduarum receptacula, Orphanorum ſubſidia, delirantium clauſtra, reorum vincula. digreſſio hæc coniugatis maximè vtilis eſt: nam maritis moroſæ coniugis a pectu exagitatis pulcherrimus exeundi è domo prætextus eſt: illæ verò per horas aliquot antemeridianas, abſentiam mariti de adulterio non ſuſpectã, libenter admittunt, ne temporis iacturam ad ſpeculum hærentium, atque expenſas non neceſſarias purpuriſſi, ceruſæ, & ſtibij, præſens damnare incipiat. Emolumenta pecuniaria huius adminiſtrationis, ferè nulla ſunt, niſi

quod ſingulis cõgregationis piorum horum locorum adminiſtratoribus, cum Prælatis, ac nobilibus præcipuis mixtos, libelli cum titulis domi inauditis porrigi ſoleant, concurrentibus pauperibus, veluti ad tribunal quoddam, quibus cum iucunditate, & facilitate ex ære fundatorum ſatisfieri poteſt, magnatis ſubinde commendatione ſuffultis, contigit aliquando Ciuitatis Cuſtodes, dum bonum publicum procurabant, circumeuntes, domum propriam illorum a furibus expilatam fuiſſe. deploranda res! ſi illi qui peregrinis hoſpitia præparant medicamina ægrotis, Virginibus dotem, vel Monaſterium, Iuuenibus ſapientiam, Viduis, atque Orphanis alimenta, amentibus ſecuritatem, captiuis libertatem, illi inquam qui tranſcendunt officia proprij ſtatus, opera Dei negligenter facientes, ad metam peregrinationis hominis Dei non peruenirent.

De

De Officio Gaudentium dum alij plorant.

CAPVT XXIII.

SI intra illius præciſè fines, quod humani generis dignitas requirit, cuiuslibet hominis animus ſeſe contineret, in tam grauem rerum temporalium ſollicitudinem non incideret; verum cum voluptati ſe dedit, ac mundani faſtus amplitudinem ſectatur, tunc ſuperflua naturæ eius ſtatui neceſſaria videntur, atque officij ſui meritis adſcribit, quod digniores pro ſigno honoris gratis ſibi exhibito, accipiunt. nemo ſine labore huius mundi bonis fruitur: nam vel in acquirendis ijs deſudat, vel in conſeruandis ſollicitudine premitur, pauperibus corpus, diuitibus ingenium exercentibus. ponamus bonis artibus fortunæ bonis, aliquem abundare cæpiſſe: Ioſephi tamen prouidentiam præ oculis habere debet, qui tempore abundantiæ ſterilitati futuræ remedium parauit. nam etſi quibuſdam diebus in anno, tantum emolumenti ex officio ſuo hauriat, vt curru vehi, atque equos alere poſſit

poſſit: prudentis viri eſt, temporum inſtabilitatem, ac fortunæ volubilitatem pertimeſcere. qui ſecus facit ad iniuſta quædam, atque abſurda deſideria deducitur: vt nimirum cum damno proximi diteſcat, vel plorantibus alijs rideat. ad otium redacti artifices qui futuram temporum calamitatem non prævìderunt, optant Dominis ſuis quamprimum ſeruire a quibus opera eorum nedum conſumpta eſt. Mercatores vellent illicò officinam ſuam euacuare illis mercibus, quibus rarò homines indigent, benedicentes Gallorum induſtriam, qui ſæpiſſimè aliquid noui veſtiendi formæ addunt, quod omnes ferè nationes cum applauſu imitando approbant. Hoſpiti pecunijs benè inſtructo, offert hoſpes capum; qui non niſi quatuor Turdos obæſos poſtulat. libenter venderet illi vini dolium qui moderatè bibere ſolet, non inebriari. Crederes ex reuerentia quadam artifices in via tibi obuios dimiſſis oculis, in facie non te intueri; ſed obſerua, quod illam corporis partem reſpiciunt, quam ſua arte vel tegunt, vel ornant, dolentes ſe tibi in via, non in officina ſalutem dicere. Homo Dei pacem inter Prin-

cipes

cipes conciliari optat, ſiue conſer-uari, concordiam inter Ciues. pro-ligus Miles bellū vocat, Cauſſidicus rapax litigioſum Clientem. parum fructuoſa Medico eſt valentis viſita-tio: ſanis corporibus, nec ferrum, neque emplaſtrum applicat Chirur-gus. Lictor Hominem Dei, ſine calumnia non ligat. quid his omni-bus agendum, ſi homines frugaliter vixerint, iuxta regulas temperantiæ? ſi pacificè degant cultores charitatis, ac iuſtitiæ? quis, ex animis illorum, qui parando funeri operam ſuam na-uant, mœſtitiam pellat, ſi proſpera valetudine vtantur omnes, & nemo ad inferos deſcendat? quidam ex ijs in arte picturæ non vltra progreſsi ſunt, quàm vt mortuorum inſignia in charta depingerent. alij tunc cor-pori ſuo viuo, neceſſaria lucrantur, cùm cadauera contrectant. Sacer-doti natiuitas hominis fructuoſa aliquo modo eſt; nam licet gratis fi-delibus det, quod gratis accepit, hu-manitatem eorum experitur, quo in gaudii parentum, ac prolis educan-dæ ſocietatem vocati ſunt: vtilior verò interitus, quando ei licet, iura aliqua parochialia, ratione funeris ab hæredibus exigere. De Senibus

capi-

capitularibus, ſiu in dignitate aliqua conſtitutis ad quam plurimi colliniant frequenter inquiritur quomodo valeant? & ſi ob leuem corporis ægritudinem in publico non comparean, interrogatur Medicus quid de virorum ætatis ſenectæ (quæ ipſa morbus eſt) ſanitate ſperet? an verò aliquid formidet quod vitam eorum in diſcrimen adduceret? accipe vnicum in corpore opellæ, & quidem mendicatum a Naſone verſiculum:

Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Ingrati quidam filii reperti ſunt, qui in natalis patris ſui cœna piè verbo tenus ſeni vitæ longæuæ proſperitatem apprecabantur, Iudę oſculum paternæ manui ferentes, ſed veluti pſittaci abſque vllo affectu hæc verba pronunciabant, ſiue tam malè affecti: vt immaniſsimi Turcarum Tyranni manum oſculo contingere viderentur: tacitè eam exoptantes, vel frigidam, vel amputatam. nimirum egrè adoleſcentes patris imperio ſubiacent: cuius frugalitatem, auaritiam vocant, cuius conſilia, inſomnia: ſed non conſiderant, eodem modo nummos ſibi à patre negari,

gari, quo pueris pugionem non damus, plorantibus periculi ignaris, quia non permittitur ijs ſeipſos interimere, vel grauiter vulnerare; quomodo enim parentes paucas pecunias filiis negarent, quibus ſeruant hæreditatem? quomodo vana conſilia ijs ſuggererent, per quos virtutis præſidio deſtitutos, ne quidem boni nominis famam a poſteris impetrarent? quis crederet ita auaritiæ deditos nonnullos, & lucro inhiantes, vt peſtem, bellum, famem, incendia patriæ ſuæ exoptare non erubeſcant, per quæ facta rerum mutatione, proprietatum, hæreditatum, ac theſaurorum documentis conflagratis, primi occupantes veluti Domini fiant, per iniuſtè acquiſita bona variis artibus ad vicinarum ædium, ac poſſeſsionum proprietatem anhelantes? qui ſine damno aliorum ſiue dolore augeri expetit, bonarum artium lucra quærat, ac nouerit virtute parta tueri. non omnibus ampla hæreditas a parentibus relinquitur, ſed fere omnibus intellectus, & corporis membra. Amentibus ac mutulis, hominum Dei charitas facile ſuccurrit: integri ad labores mittuntur. Non prius dedit

Deus Iſraelitis manna, quàm defeciſſet peregrinantibus Ægypti farina. colendus ager eſt, vt feras, ſerere oportet, vt metas. poſt labores incrementum frugum a Deo petit impiger agricola, ſtultus vero complicat manus ſuas. quando prouidentia noſtra exhauſta eſt, licet nobis ad ſolius Dei auxilium confugere; ſed cauendum ne ſapientiæ eius, ac potentiæ regulam præſcribamus, ac ſi in immenſo ſuo theſauro, nullum præter id quod concipimus, opportunum neceſsitatibus noſtris reconderet remedium. elabora quantum in te ſitum eſt, vt intra honeſtatis limites rem tuam cuſtodias, vel augeas: ſed iacta ſuper Dominum curam tuam, ſine quo, irritus hominis conatus eſt, inanis omnis labor.

De

De Officio implicante.

CAPVT XXIV.

NAaman Princeps militiæ Regis Syriæ, poſtquam lauiſſet ſepties in Iordane, iuxta ſermonem viri Dei Eliſæi: reſtituta eſt caro eius ſicuti pueri paruuli, & a lepra mundatus eſt. tunc confeſſus eſt, quod non ſit alius Deus in vniuerſa terra, niſi tantum in Iſrael. pro hoc ſolo, rogauit hominem Dei: vt veniam a Deo pro ſe poſtularet, quando adorante Domino ſuo in Templo Remmon, atque innitente ſuper manum eius, in Dei veri auxilio fixo corde corpus ſuum ad obſequium Idololatræ erat curuaturus. poſt conuerſionem Petrus ad piſcationem rediit, Mathæus verò ad telonii negotium non reuertit, quia vt ait Diuus Gregorius pleraque negotia ſunt, quæ ſine peccatis exhiberi, aut vix, aut nullatenus poſſunt. non facile damnandi artifices ſunt, quorum operibus plerique abutuntur; vitio enim aliorum, optima quæque, malè vtentibus officiunt. medicina venenum fit, non ſeruanti a Medico præſcripta,

imò

imò Sacramentum, ſacrilegium, ob rite diſpoſito ad illud recipiendum. armis benè vtitur miles ad patriæ defenſionem, quilibet ad ſui defenſionem, iniuſtè latro ad viatorum occiſionem. ad relaxandum animū, aleis, ac teſſeris licitè ſubinde ludit Homo Dei; illis ludus vitio vertitur, qui totius fermè vitæ tempus cum talis proijciunt ſubſtantiam ſuam prodigunt, atque ea amiſſa Sacroſanctum Dei nomen blaſphemant. putaſne tam ſoluto ab omni moleſtia animo eſſe, artifices illos, qui talia opera conficiunt, quibus vt plurimum, cum offenſa Creatoris hominum prauitas abutitur? ſicuti Agricolæ, & ſimiles operarij, quorum labor ijs ſolis grauis eſt, opus verò, ac fructus operis omnibus arridet? Hilarius artifices, globos ligneos detornant, ſiue gladios conficiunt, quibus ingenui corpus exercent, ſeu patriam, vitam, atque honorem tuentur, quam talos, aleas, ſiue cultros quoſdam præacutos, quibus prodigi patrimonium ſuum forte dilapidabunt, non ſubminiſtrantes vxori, ac filiis ſuis neceſſaria alimenta, ſiue ictu proditorio

M ini-

inimicos ſuos interiment. Tunc in Pictores laudes maximæ conferuntur, quando arte ſua tam benè figuram hominis expreſſerunt: vt omnia præter vitam, ac motum operi ſuo eos dediſſe inſpectores affirment. Quid dicemus de ijs, qui venerem ad viuum ſpectatorum oculis repræſentant? forte dicent ſe admirationem hominum aucupari. non negamus aliquos, in ſola pictoris arte delectari, eadem ſimplicitate, qua infantes nudos conſpicimus; ſed timendum ne maior pars ab arte ad naturam deflectat, atque ab admiratione ad fornicationem tranſeat. nam ſi ſenes & quidem populi Iudices ex mulieris formoſæ aſpectu tantopere in concupiſcétiam eius exarſerunt: vt dignitatis ſuæ obliti, importunis precibus, adiectis minis, caſtiſſimæ mulieris animum exagitarent, ac deſperata re verſo in rabiem amore, falſi criminis teſtes eſſe non erubeſcerent: quis non cautè cuſtodiat oculorum feneſtras, per quas etiam picturæ tacens opus, quod naturam proximè imitatur, in intimos penetrat hominis affectus? Iudicet Lector an innocens

pictor

pictor ille ſit qui tantum noc t? Infelix adoleſcentis conditio eſt, qui in officina mercatoris, fere in otio Domini ſui negotium conficit, ex quo vix præter vitæ neceſſaria, aliquod lucrum reportat, ſi cogatur pondere iniuſto, ſeu ſtatera doloſa, emptores fallere, ab hero ſuo dimittendus, niſi ſic illi inſeruiat. apud Dominum nobilem (qui magnanimitatem cum ferocia confundit, qua mauult timorem hominibus incutere, quam humanitate animos eorum ſibi conciliare) ſerui animus tranquillitate minimè fruitur, ſi ministari aliquibus illum iubet, alios percutere, quod extra iudicium, ne quidem monarcha miniſtris ſuis imperaret. poteſt contingere, ad vitæ ſiue honoris Domini ſui defenſionem, in aliquo caſu ſimile quid ei licere; ſed ſicuti qui ardet iracundia, ad iudicandum idoneus non eſt, ſic non tenetur ſeruus Domini irati mandata exequi. & ecce egenum eſurientem, cui panis ablatus eſt, quia non ſitiuit humanum ſanguinem. Pleriſque ſeruis magis damnoſa Domini amicitia fuit, quam iniuſtæ perſecutionis tribulatio. ob-

ſeruarunt quarundam mulierum cantu, cum vehementer delectari, & nihil mali ſuſpicati ſunt, cum abſque vlla culpa ille placere audienti poſſit, ſicuti placet cantus luſciniæ, ſiue cantus alaudæ; ſed cum horis veſpertinis, vni illorum Dominus epiſtolam quandam ad pulchriorem dediſſet, timens ſeruus tenebricoſam eſſe, illam cum maiori difficultate accepit, ac ſi gladium pro Domini defenſione ſtrinxiſſet. Vidit Dominus hæſitantis ſerui, faciem rubore ſuffuſam, atque epiſtolam propinquæ ſuæ inſcriptam eſſe aſſeruit. abijt placatus his verbis Tabellarius; ſed cum die procedente ſatis familiariter cum ea loquentem Dominum audiuiſſet (quod propriũ propinquorum eſt) & neſcio quid vidiſſet quod inter alienos frequentius accidere ſolet: maluit Dominum ſuum mendacij, quàm inceſtus arguere. huius ſermonis lepore efficere cogitauit, vt ipſe quidem Homo Dei ſeruus remaneret, Dominus vero culpam ſuam agnoſceret. veniam in primis precatus eſt, quod nimia familiaritate, eum cum propinqua tractantem fuiſſet admiratus, quia

ſolos

ſolos quatuor gradus conſanguinitatis prohibitos didicerat. verùm cum conſideraſſet attentiùs ab Adamo, ſiue propius a Noacho omnes homines huius temporis deſcendere: mulierem illam (ad quam neſcius genealogiæ, bona fide epiſtolam tulerat) Domini propinquam quidem eſſe affirmabat, ſed eadem ratione ſe eſſe dominationis ſuæ cōſanguineum. quapropter eum rogauit; vt paupertatis anguſtię (quam in peccati pœnam, ac remedium a Diuina Prouidentia ſibi immiſſam credebat) lenocinij maculam non adiungeret, talia iniungens conſanguineo ſuo obſequia, quæ ab extraneo petere indignum Chriſtiano homine eſt, exequi vero etiam neceſſitate extrema laborantem ſeruum, turpe. non eſt huius loci examinare, quæ vitæ humanæ actiones ad peccatum implicent. certum eſt aliquas intrinſecè malas eſſe, ac ſemper puniri detectas: aliàs tolerari vt maiora mala euitentur: quaſdam ideo malas eſſe, quia ab habente authoritatem prohibitæ ſunt: plurimas indifferenter ad bonum, & malum ſe habere, ſed ex operantis

intentione, ac circumſtantijs laude, vel vituperatione dignas fieri. O mentis humanæ cœcitas! nemo in crepidine ambulat, quia madefieri timet, vel ad ſummum demergi; Oram vero (vltra quam virtus conſiſtere nequit) quaſi in tuto eſſemus, tam facilè contingimus: ex qua ſi prolabimur, quis ſcit, ſi in ſtatum hominis Dei, peregrini vnquam reuertemur?

De

De indifferentibus ad vitæ præſentis ſtatus, atque Officia.

CAPVT XXV.

QVi inter duos Principes belligerantes medius eſt, vel propinquus, vtriuſque velut inimicus efficitur, vno dolente quod non iuuet, altero conquerente quod pugnantes de longe aſpiciat, quaſi arbiter cauſæ futurus, vel amborum victor, ſi fortiter vtrimque pugnatum eſt. nemini peregrino in hac vita poſsibile eſt, tali libertate frui: vt Deo vero Domino ſuo non obediat, ſiue Dæmoni Tyranno non ſeruiat. forſitan gladius ille ex vtraque parte acutus, Apocalypſis Ioannis verbum Dei denotat, quod à corde humano terrenas cupiditates ſecat, vel allecto proemij magnitudine, vel deterrito formidine pœnæ. Athei terrena inhabitatione contenti ſunt, quia futuram reſurrectionem pro fabula reputant. tepidis peregrinis; moleſtus eſt de æternitate vitæ futuræ (ad quam nonniſi

 niſi

niſi per mortem peruenitur) diſcurſus. nunc alloquor otioſos quoſdam, qui Chriſti nomen venerantur: cuius membri corporis Eccleſiæ ſub capite Chriſto perſonam repræſentabunt? Si placet ijs in ſolitudine, viuere: ibi ob contemplationem diuinitatis, veluti diuinus quis efficitur, ſiue ob ferarum conſortium, brutalis. ſæpius in Ciuitatibus repeқriuntur, & cum Principes eſſe nequeant, de Principibus murmurant. non reſpuerent Religioſorum congregationi aſſociari, niſi graue ijs eſſet ab aliorum nutu pendere, amplecterentur obedientiam a Sacerdotibus, Epiſcopis ſuis, præſtandam; ſed cum titulo aliquo honorifico, & pinguis beneficij prouentu. Politicorum Principis, Iudicum, Aduocatorum, officia non ambiunt, quia moleſtum ijs nimis foret, tot volumina euoluere, atque in Bibliotheca plurimum deſudare; quod tamen neceſſarium eſt, vt quis ad ſimilia, reddatur idoneus. bellicam laudem non affectant ob pericula vulnerum læthalium in corpore: quod ad conſumendos fructus terræ ſe ſeruaturos, iureiurando affirmauerunt.

De nobili proſapia ſapit, eos etſi pecuniæ auidos (quas contractu arteriæ, atque ollæ inſpectione, Medici facillimè corradunt) reſpuere huiuſmodi lucra, ſicuti etiam Artificum, & Mercatorum, multo magis Agricolarum officia, laboribus, ac tricis plena · cum dote opulentiſſima formæ elegantis fœminam introducerent in ædes ſuas, cooperaturi bono publico, per prolem ex legitimo matrimonio progenitam, eiecta meretricula, niſi parentes puellæ, homines deſides, atque otioſos execrarentur. vix aliquid laude dignum inuenias in iſtis hominibus, niſi quod ſufficientia rerum temporalium a parentibus ſibi relicta domum ſuam inhabitant, vineam paternam coli iubent, libertatem ſuam, in Aulis Principum pro tantillo ſtipendij non vendunt. vtinam frequentiores in Templo eſſent, quàm in foro! exhortationes ad virtutum actus libentius auſcultarent, quàm fabulationes! vel caſti eſſent, vel coniugati! non abs re erit ſimilibus, verba Euangelij in memoriam reuocare: quid hic ſtatis tota die otioſi? ite & vos in vineam meam. Quæ verba Diuus

Gregorius Magnus non ſolùm de Apoſtolis, & Gentilibus, ſed de quolibet Peregrino intelligit: ac ſi diceret: vel bono publico intende, vel tibi ipſi attende.

De ſumma rerum.

CAPVT XXVI.

IN omni ſtatu, gradu, atque officio, diues, & pauper, mas, & fœmina, innocens, ac pœnitens, hoc ſtabile totius vitæ operum fundamentum ponunt: vt inter mundanas varietates, in termino peregrinationis (quæ Cæleſtis Hieroſolyma eſt) cor ſuum peregrini figere proponant. ob innumerabilia vitæ huius ærumnoſæ pericula, beatos pronunciamus paruulos, velut inuidi felicitati illorum, qui mortis pœnam incurrerunt antequam perderent gratiam, quam in Baptiſmo perceperunt. Admiramur illorum conſtantiam, qui poſtquam grauiter deliquerunt, plangentes peccata ſua, miſericordiam Dei conſequuti

ſunt

ſunt, atque ea tam benè vſi: vt vſque ad finem vitę ſuæ perſeuerantes, in bono propoſito, gloriæ coronam adipiſcerentur. pleriſque exprobrari poſſet a Sacerdotibus quouſque, claudicatis in duas partes? ſi Dominus eſt Deus ſequimini eum. modò peccata veſtra plangitis, & facienda, ac vitanda promittitis; ſed paulò poſt veluti claudi ad alteram partem declinantes, promiſſa non ſoluitis. An vera pœnitentia dicenda eſt, quæ toties frequentata hominem non mutat? Non audeo deſperare de horum ſalute, innixus reſponſo Saluatoris, Vicario ſuo in terris dato: non ſepties, ſed ſeptuages ſepties. Placet hic inſerere hominum vtriuſque ſexus omnis ſtatus atque conditionis exempla quædam virtutum, quæ in ſæculo degentibus, & negotijs varijs implicatis opponi poſſunt, ne arduam, & quaſi impoſſibilem extra Religioſorum claustra affirment perfectionis chriſtianæ viam: ac ſi Hieroſolyma terrena incolas ſuos ſanctificaret, Cythara Cytharedum efficeret. Solitudines a millibus Anachoretarum inhabitatæ ſunt: vt remoti ab Vr-

bium ſtrepitu, liberius diuinarum rerum contemplationi vacarent. plerique verò illorum Vrbes incoluerunt: vt verbo, atque exemplo, proximis ſuis perſuaderent, ad felicem grauiſſimi ſalutis æternæ negotij exitum, nihil magis conducere, quàm ſi ab impiorum conſortio ſegregati, ſolitudinem inhabitarent, vel inter homines commorantes, immaculatos ſeſe ab hoc ſæculo cuſtodirent, cupientes diſſolui niſi iuberentur mortalibus inſeruire. Diuus Gregorius ſummi Pontificatus honorem alieno veſtitu in ſpelunca delitefcens, ſed indicio igneæ Columnæ deprehenſus acceptauit. in Pontificatu admirabilia ſunt quæ dixit, fecit, ſcripſit, ac decreuit, præſertim infirma ſemper & ægra valetudine. peregrinos quotidie ad menſam adhibebat; pauperes tam vrbanos, quàm extraneos (quorum numerum deſcriptum habebat) benignè ſuſtentabat. Catholicam fidem multis locis labefactatam reſtituebat, atque infideles ad IESV Chriſti fidem conuertebat. diuitijs, & pompis (quæ dignitatem ſupremam comitari ſolent) minus cor

ſuum

ſuum appoſuit, quàm Eremi incola quidam, beſtiolæ ſuæ, quam in ſinu ſuo fouebat, ac nutriebat. Nuper Diuus Carolus Borromęus, ac Diuus Franciſcus Saleſius nullius Religioſi ordinis magiſterio edocti, felici ſucceſſu, peregrinationem ſuam terminauerunt: quam Diuus Thomas a Villanoua, in Religioſorum hominum Dei cœtu perfecit. confer anguſtæ prouinciæ tuæ officium, cum Regis ſollicitudine: & confundere, quod tu vix ſemel in die, ſepties verò Dauid laudem Deo dixerit. nec mirum quod ſapientes pro ſalutis æternæ negotio (etſi moleſtis, atque operoſis negotijs implicati) tempus ſemper inueniant: cum corporis curandi horam, quilibet ſtolidus anticipare norit, ne prætereat. Diuus Henricus Romanorum Imperator, nihil ſine precibus aggredi ſolitus, Angelum Domini, Patronoſque Martyres, Duces ante aciem viſibiles interdum habuit, ac Virginitatem raro exemplo Matrimonio iunxit. Diuus Ludouicus in Blanchæ Matris ſanctiſſima diſciplina educatus (quæ maluiſſet illum viuum mori, quàm mortuum viue-
re)

re) mare cum ingenti exercitu traiecit, ac primo prælio Saracenos fugauit. peſtilentia (quæ in exercitu ſuo graſsabatur afflictus) cladem, & captiuitatem patienter ſuſtinuit. plurimos Chriſtianos a barbarorum ſeruitute redemit, multos infideles ad fidem conuertit, aliquot Chriſtianorum Vrbes ſuis ſumptibus refecit, multa Monaſteria, & pauperum hoſpitia ædificauit, ægrotis neceſſaria, etiam propriis manibus ſuppeditauit; veſtitu vulgari contentus cilicio, ac ieiunio corpus aſſiduè afflixit. nota eſt Patriarcharum antiquorum pietas, qui in laudabili connubio opibus abundantes magno ſeruorum numero imperabant, terrenorum bonorum ſollicitudini, hoc vnicum ſpiri æternorum negotium præferentes. Birgitta Vlfoni Neriiciæ Principi in matrimonium tradita, virum ipſum ad pietatis officia, tum optimis exemplis, tum efficacibus verbis adhortata eſt. in filiorum educatione piiſsima pauperibus, & maximè infirmis domo ad id muneris dicata inſeruiebat quàm diligentiſsimè; illorum pedes ſolita lauare, & oſculari. Viro defuncto, audita

Chriſti

Chriſti voce in ſomnis, arctiorem vitæ formam eſt aggreſſa. deinde Romam venit, vbi plurimos ad amorem Diuinum vehementer accendit. inde Hieroſolymam petijt, & iterum Romam, vbi grauibus per annum integrum afflictata morbis, cumulata meritis, prænunciato mortis die, migrauit in Cælum. Catharina Virgo Senenſis, in Domo paterna inimicos viſibiles, atque inuiſibiles ſuperauit: periculoſum certamen eſt, in quo parentibus reſiſtere tenemur, quibus præcepit nobis Deus obedire. illi Sponſum mortalem Virgini offerebant, hæc celeſti ſeipſam dedicauerat. vide ſi iuſtum erat, hominem æquiparari Deo? Habita veluti ancilla Domi eſt: vt optaret in æde Mariti Domina eſſe: ſed illa (ne amorem importunè poſtulantibus odium; atque irreuerentiam redderet) ingeniosè in parente Sponſum, in Genitrice, Virginem, in Fratribus Apoſtolos obſeruauit. Excluſa a cubili ædis paternæ, introiuit in cubiculum cordis, meruitque introduci in cellam Regis, qui in ea charitatem ordinauerat, vt Deum præ omnibus

bus coleret, perſequentes ſe otio non haberet. Adde his ex Militibus Sebaſtianum, ex Sacerdotibus Philippum Nerium, ex Vidu s Franciſcam Romanam, ex pauperibus Seruulum, ex Agricolis Iſidorum, atque innumerabiles alios omnis conditionis, ætatis, & ſexus, quos prætetire coguntur ſcribentes libellos: certum eſt, quod nullorum Peregrinorum iter magis extimeſcendum ſit, quàm qui vſque ad ſenectutem, ſiue vitæ ſuæ finem pœnitentiam protrahunt, ac ſi vitę diuturnæ, ſeu determinatæ infirmitatis ſponſorem haberent. omnes enim, quos ſupra memoraui, virtutum exemplo nos erudientes, vel non peccauerunt poſt Baptiſmum, vel tempeſtiue pœnitentiam egerunt. Forſitan latroni cum Homine Deo crucifixo, venia peccatorum ſub finem vitæ a Domino conceſſa, in ſpem magnam illos adducit, quod poſt mundi gaudia, minus Latrone flagitioſi, grauiſsimnm hoc ſalutis æternæ negotium confecturi ſint. Sed ponamus eos repentina morte non obire, verùm paulatim ſeneſcente

ætate

ætate diſſolui ; ſanè felicis Latronis diſpoſitionem in illis non agnoſcimus. ille contemptum ab hominibus, Mundi Saluatorem, a Diſcipulis derelictum, a proditore venditum, illuſum ab Hebręis, Regem ac Dominum prædicat, peccatorum ſuorum enormitatem confitetur, blaſphemantem ſocium corripit, memoriam duntaxat ſui a regnaturo Domino poſtulat, præclaris fidei, pœnitentiæ, ſpei, humilitatis, & charitatis actibus clarus. Et quidem illo tempore quo Diuinorum theſaurorum ianua patebat: quando ex ſacratiſsimis Saluatoris vulneribus, tam copioſus pro Mundi ſalute fluebat ſanguis, quando Filius Dei pro tortoribus ipſis Patrem ſuum orauerat. hi verò in ſolo Chriſtiani nomine per totam ferè vitam gloriati ſunt; ſed paganorum mores imitati, metu mortis, ac gehennæ deterriti, vnius horæ, fere vltimæ vitæ ſuæ, ſpatio, domui ſuæ diſponunt, ac Sacramenta Eccleſiæ ab amicis circumſtantibus in memoriam ijs reuocata ſuſcipiunt, non ſuſcepturi adhuc, ſi valetudine bona vterentur. Sancta

cta Mater Eccleſia a Spiritu Dei directa, graui morbo affectum, non modò ſpiritualibus remedijs iuuandum eſſe docet, ſi a Sacerdote auxilium poſtulauerit, ſed vtrumque præcepto obſtringit, vt ille Sacramentorum virtute contra diabolicos incurſus ſeſe muniat, hic laboranti præſto ſit: quaſi miraculum accidit in illa domo, in qua, qui pauló ante morbo mortifero vrgebatur, per conclaue ſuum ambulat. Quid dicemus de illis, qui de faucibus Inferni, de captiuitate Dęmonis, protinus transferuntur in locum ſalutis, vel in Regnum, ac gaudium Saluatoris? nimirum hęc mutatio dexteræ Excelſi eſt, qui nonnullos ſalutari timore concuſſos ad pœnitentiæ Sacramentum dignè ſuſcipiendum pręparat, alios vehementiſsimo charitatis ardore inflammatos beat: nolens propè terminum huius vitæ peregrinationis, continere fontem ſuæ miſerationis.

Homines,& Iumenta ſaluabis Dñe quemadmodũ multiplicaſti miſericordiã tuam Deus.

F I N I S.

Errata ſic corrige.

Pagina 16. linea 2. reclinent. l. 26. periculum.p.17.l.14.dubitare. l.15 d.o. p.28.l. 17.ſciunt.p.40.l.14.facit p.42.l.18.perficiant.p.52.l.19.alijs. p.58.l.16.dictum.p.60.l.28, illum. p.73.l.25. laborant: p.74.l.30. deſcendere.p.78.l.31.ruſticanam. p. 84.l.26.illa.p.86.l.10. friuola. l.25. nobilioribus,p.87.l.9,ſanior. p.88. l.2.cupiditate.p.90.l,6,offeres.l.21. deuotionis. l.15.gratiarum. l,25. Solem.p.93.l.14,peſtilentia.p.100. l.23.reddit.p.102.l.3. nunc. p.107. l.14.conciones.p.108.l.10.paratus p.111.l.2.ex. p.117.l.10. ſupplici. p.120. l.13.inuigilent. l.18. allici. p.124.l.4.conuenire.p.125.l.6.cōficiatur.p.126.l.23.lictorum.p.127 l.16 cogatur.l.19 curantes. p.128. l.3.abſcondere.l.8.reuelatione.l.17 Principis.p.136.l.2.laudem.p.145. l.27.antiquorum.l.31. tormētis ſe. p.149.l.11. conferantur. p.160.l.9. deputantur. l.21. lyra. p.162. l.3. gloriæ.l.28.obdormire. p,168. l.4. viri.l.28.oſcula, p. 174.l.4. intulerit,o.p.177.l.9.Bacchum.p.180.l.31

modò

modò.p.187.l.17.amore.p.190.l.26 continent.p.192.l.10.citius,p.199, l.24.vt de. p,204. l. 17. duritiem. p.206.l.2. Cap.17. p.213. l.5. læta-tur. p.217.l.2,inſitiuo. p.218. l.8. Aquilo. l.23.labor.l.26.benè.p.219 l.7.liberet. p.221. l.26. viuorum. p.222.l.30.principium. p.226.l.15 deceperis. p.227.l.11.commiſera-tione. p,228.l.1.otio degere. l. 3. liquet. l.16.atque. p.229. l.9. ſer-uire. l.26.potentis. p.231.l.8.mo-dò. l.31. pectore. p.239. l.6. ſur-daſtri.p.244. l. 22.tamquam.p.249. l.1.quia. l 12.incliner. p.264.l.20 capita. l.31.condiſcipulos. p.252. l.7.vrgeant. p. 253. l. 30. fierent. p.256.l.21.aſpectu. l.25. non ſu-ſpecti. p.259. l.11.necdum. p.260. l.20 depingerent. l.21.neceſſaria. l.22.cum. p. 261. l.1. ſiue.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ex Libris Bibliothe
che S. Laurent
Hj

Google

Dicho jegh m